


Zschrif III. 10  
Okt.  
(1 - 5)





(3)

GEORGII SCHVBARTI  
POLYHISTORIS OLIM IENENSIS  
EPISTOLAE  
ET  
PRAEFATIONES  
STVDIOSE COLLECTAE  
ET  
IN FASCICVLOS DIVISAE.

PRAECEDVNT  
PROGRAMMA FVNEBRE  
ET  
IVSTI EVLOGII  
EPISTOLA  
AD SCHVBARTVM.

---

IENAE  
APVD  
ERNESTVM CLAVDIVM BAILLAR.  
MDCCXVII.



GEORGII SCHAHRTI  
HISTORICAE MAGAZINIS  
TOMVS. I. 1784.  
IVVENI  
GENEROSO, ELEGANTI  
INDVSTRIO, ERVDITO, DISERTO  
VT SVNT  
QVOS AD HVMANITATEM  
NATVRA FECIT  
IO. GE. DE BEVLVVIZ

IO. H. A.

GEORGII SCHVBARTI  
EPISTOLAE  
ET  
PRAEFATIONES

---

---

I.

EPISTOLA

AD

SERENISSIMVM SAXONIAE DV-  
CEM FRIDERICVM

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME



Oterant curae, quibus turbu-  
lento isthoc rerum statu sup-  
pressus in singulorum com-  
modum salutaria prouides,  
ac praecelsum gloriae fasti-  
gium, me facile absterrere, ne consecra-  
tione

A

tione

## 2 GEORGII SCHVBARTI

tione Bosiani huius operis TE alio diuerte-  
rem. Sed, quae est diuinae indolis TVAE,  
benignitas audacem me fecit, et grata  
erga ingenuas artes voluntas, per quam  
laetissima clementiae suffragia haud semel  
vsurpandi, ac liberali etiam fruendi otio  
iam aliquot annis mihi datum est. Quare  
vel hoc nomine, vt publicum submissi cul-  
tus gratique animi monumentum exstaret,  
summa fuit ope connitendum. Quod ta-  
men cum ex propria desperarem industria,  
praeter opinionem factum est, vt haec mihi  
lucubratio e beati Auctoris museo ad publi-  
cos vſus edenda committeretur. Haec ipsa  
vero propter scripturae genium, quod di-  
sciplinam orbis ac notitiam, eiusque adqui-  
rendae meliora praefidia tradit, nemini ma-  
gis, quam TIBI, SERENISSIME DOMI-  
NE, deberi videbatur, qui ipsa ortus con-  
ditione, tot peregrinationibus, per Germa-  
niam et huic vicina regna suscepitis, intelli-  
gentia temporum, assiduoque negotiorum  
tractatu, eum imperiorum intellectum iux-  
ta et vſum consecutus es, quantum in Prin-  
cipe optimum maximum mirantur pruden-  
tes, ac summe praedicant: ne quid iam  
commemorem de interiore illa cognitione,  
qua, incomparabili Parentis exemplo, am-  
plissimarum ditionum res, ac si minimae  
domus diligentia contineantur, TIBI pa-  
tent ac penitissime introspiciuntur. Lae-  
tantur



## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 3

tantur inde, quibus obsequii gloria relicta,  
ac in mutuas gratulationes soluuntur, quod  
supremo diuinae indulgentiae munere ipsis  
praesit, qui nihil plane ignorat, quod com-  
munem illorum salutem attinet. Accipies  
igitur clementi vultu librum hunc, speci-  
men ciuilis actus ac prudentiae instrumen-  
tum, cuius ex gloria et meritis perfectum,  
ac posteritati memorabile, exemplum prae-  
bes, simul et inter demississimae mentis ob-  
sequia admittes, qui se aeternum conse-  
crat.

### II.

AD

## BENIGNVM LECTOREM.

**I**OANNES ANDREAS BOSIVS, ex quo  
historiam publice tradere iussus est,  
nunquam maiore fide ac diligentia  
prouinciam tueri se credidit, quam  
vbi commissam sibi florentissimorum iuue-  
num aetatem in publicum vitae vsum, rei-  
que litterariae decus ac vigorem dirigeret,  
neque committeret vñquam, quod studio-  
rum perfectioni ac tempori, tum et institu-  
to cuiusque molestum aut ingratum foret.  
Videas hinc tot ipsius dissertationes, ac in  
quolibet doctrinae genere exercitationes,

A 2                   edi-



## 4 GEORGII SCHVBARTI

editas pariter et ineditas, quibus vel ciuilis prudentiae studiosis ad rerum actum viam munit, mores antiquorum, prudentum instituta, molimina, successus et euentus, accuratam rerum publice gestarum cognitionem, variosque casuum rationes exponit; vel emendatam eloquentiae venustatem, procul inepta facundia et obscuris sensibus, vitae ciuili ac vsui publico accommodat; vel de classicis aliisque praestantioris notae scriptoribus differit, loca obscura illustrat, difficilia explanat, errores notat, menda tollit, ac suis quaeque adserit adeo, vt in his, quidquid erudit laboris ac sapientiae vspiam est, concurrisse haud immerito credas. Scilicet solerti studiorum vsu deprehendebat, vix esse simplicis curae, pro ratione muneris interiorem ac paucis obuiam vtilitatem ex pragmatica historiae scientia demonstrare; aut publicae administrationis notitiam, imperiorum fata, eorumque causas, multiformia agendi consilia, humani moris dissimilitudinem, omnemque rerum indolem altius perquirere, ac operam suam fideli prouisu cuiuis prensanti sine ambage et ex voto commodare. Egregium prae reliquis litterarii huius apparatus specimen exhibet INTRODVCTIO GENERALIS isthaec, quam ante hos quatuordecim amplius annos quibusdam prosapia generofis, nec minus ingenio ac eruditione praecipuis,  
ad

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. ¶

ad praecolas Rerum publicarum functiones  
adspirantibus, tanquam prudentiae scho-  
lam, intra priuatos parietes, tradidit, ac  
postea etiam repetiit. Constituerat quidem  
amplissimi vir ingenii de praecipuis hodier-  
ni orbis imperiis, eorumque origine, pro-  
gressu, statuque illius temporis tam eccl-  
esiastico, quam politico, aliisque, ad ciui-  
lem vitam cumprimis facientibus, tractare,  
et hanc in rem praefentem Introductionem,  
praecognita quasi et vniuersales obserua-  
tiones complexam, praemiserat, cum de natu-  
ra ipsius notitiae, tum de imperiis in ge-  
nere, deque omnibus, quae in singulis ob-  
seruari merentur, quibus consecutura spe-  
cialis tractatio ceu hypothesesibus, aut etiam  
regulis, inaedificari posset. Sed quae est  
humanarum rerum varietas, ac veluti orbis  
quidam, huic tam vastae animi destinatio-  
ni pariter intercessit, vt, praeter generalem  
istam Introductionem, nullius nisi Hispani-  
ci Regni notitia ad finem perduceretur, ali-  
quando luci publicae committenda. Pro-  
deunthac vice de consilio Magnifici SCHIL-  
TERI, cui vitam Rosiana et animam debent,  
de Statu Europaeo, iuxta sexcentesimum  
primum et sequentem huius seculi annum,  
(quo temporis articulo potissima similiter  
generalis Introductionis metienda) delineato,  
dissertationes aliquot, haud inutiles fu-  
turae illis, qui vno complecti intuitu Euro-

A 3 pam,



6 GEORGII SCHVBARTI

pam, eiusque Imperia cum imperantibus  
ac statum religionis reique litterariae, pacis  
etiam et belli in singulis Rebuspublicis, ani-  
mo comprehendere student. Existimes ve-  
ro, benigne Lector, breui secutura, si non  
iniquus praesentibus fueris, alia maioris et  
ingenii et operaे scripta Bosiana, desideriis  
plurimorum votisque pridem expetita, in  
quibus sunt variantes scripture atque cor-  
rectiones in Chronographos, Syncellum,  
Theophanem, ac Nicephorum Constanti-  
nopolitanum, itemque Iosephi, quae ex-  
stant, ex emendatisimis Codicibus manu  
exaratis, immenso studio sumtuque vel a  
beato auctore collectae, vel a summis viris  
maturandae in primis Iosephicae editioni,  
quam post tot aliorum conatus fuerat me-  
ditatus, submissae; quibus denique Gene-  
sii continuatio, hactenus inedita, aliaque  
quasi in insidiis latentia, et praecursoris hu-  
ius libelli fortunam obseruantia, propediem  
succedent. Vale.

III.

AD

SAMVELEM STRYCKIVM.

**F**aciunt merita TVA, quibus orbem  
litteratum impleuisti, ut laudibus TE  
ferant omnes, quibus bona mens est,  
ac

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 7

ac nominis celebritatem apud praeclaros homines , qui sunt vbiique , propagant. Quanta sint ea in academiam praecipue Francofordiensem ad Oderam , in VVittebergensem , et FRIDERICIANAM Halensem , cuius florem ac decus huc usque non parum auxisti , grati olim commemorabunt posteri , per duratura in scriptis elogia. Ipsa superabunt ingenii TVI monumenta famam , ac TE parentem inficiabantur nunquam : quare nec vanam curas laudem , aut more vulgi aliis inuides , si forte nomen habeant , ac praedicentur honorifice. Domi enim nascentur TIBI praestantiora , quam sunt externa , et longe adscita. Qui ex variis terris peregre adueniunt , et Tecum semel tantum iterumque versantur , non satis mirari possunt humanitatem TVAM , benignitatem , doctrinam , prudentiamque cum iustitia coniunctam . Iam vero qui TE audiunt quotidie , et ad reipublicae administrationem succrescunt , consensu quasi facto testantur , se ne nusquam utilitate maiore ac fructu ad studia potuisse incumbere. Transeunt iidem ad honores in aulis et curiis , memores tantorum meritorum , et nihil optant magis , quam ut gratiam referre possint debitam. Quantus autem horum est numerus ? Florem iuuentutis in Germania tot annis vidisti inter subsellia TVA versari , et ex his surre-

## 8 GEORGII SCHVBARTI

xisse ad dignitates maiores. Nemo prudens negabit, in horum pariter animis florere, et conseruari nominis TVI honorem perpetuum, eumque integrum ac sincerum. Fauent enim isti omnes non ex impetu prauo-que affectu, sed omnino sciunt, cui faueant: fauent non superstitiose creduli, ac velut in secta, sed per virtutes TVAS singulares ad stricti. Quae cauſa me impulerit, ut beati praceptoris opuscula tertium edita inscriberem TIBI, non debet in publico sollicite explicari. Honesta est ac necessaria. Ingratus nimirum viuere nolui, postquam certior factus sum, TE apud summos in re publica viros honestam de studiis meis pro uehendis, ac laetiori successu adipicandis, tulisse sententiam. Dolet id saltem, quod aere contracto alieno, non proprio soluam. Verum, quia magis respicere consueuisti ad propensionem ingenuam, quam ad facultates meas, in praesenti humaniter ad quiesces. DEVS TE seruet, et inter piae- mia tribuat senium firmum, ac vegetum, omniique rerum optimarum affluen- tia cumulatum.

IV.

EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 9

IV.

AD

IOANNEM SCHILTERVM.

**I**nter reliquias beati meriti hae quoque fuerunt dissertationes , quas ab inclito nomine TVO licebit ordiri , non quod splendorem eius ac dignationem augere possint , sed vt praefidum inde tutelamue aduersus publicum censurae supercilium , sibi comparent . Satis quidem tutae omnique liberae a malignorum insultu fuissent , nec forte seculi barbarie nomen earum alteri ademtum , si parentis sui consilio aut arbitrio ita factae , vt in publico statuerentur : sed quae humanae ratio sortis , vt carissima saepe pignora prius destituantur suis , quam ad perfectam adoleuerint aetatem , eandem heic quoque deprehendes . Facilius igitur exorari Te patieris , vt , quam in solitudine quasi constitutis nostraeque opis indigis haud abiudicandam censes tutelam , eam his pariter chartis , qua es singulari aequitate et candore , libentius impertias . Neque sperare aliud iubet siue arctioris memoria necessitudinis , quae Tibi cum beato marito olim intercedebat , siue summa in haec studia voluntas ,

A 5                   qua



10 GEORGII SCHVBARTI

qua fecisti adeo TVA, vt eorum in publico  
negotiorum tractatus specimina quotidie des  
exquisitissima, et ad haec non tam consilio,  
quam felici successu, aliis gloriosum exem-  
plum praebeas. Possem fortassis inter caus-  
tas huius dictionis simul commemorare  
beneficia, quae, ex quo rerum mearum  
suscepisti curam, a Te tuli: sed quod im-  
pensa thuris tam exigua pensari nequeant,  
nec ambitus iste et inanis color Tibi placeat,  
immortali ea mente conseruabo.

V.

PRAEFATIO.

**A**nnus vicesimus prope exigitur, quan-  
do has dissertationes ad publicam  
vtilitatem edidi. Occasionem tunc  
quidem offerebat liber, qui altera mox vice  
prodiit, sub titulo bibliographiae curiosae:  
vbi sub finem Bosii diatribe adparebat, non  
fine censure. Verum patuit statim hominis  
imperitia, nec in praesenti debet coargui.  
Quilibet enim inter doctos nouit, quis no-  
ster fuerit, qua cura et arte bonas litteras  
tractauerit. Nunquam in scriptoribus per-  
censendis tam imprudus erat aut incau-  
tus, vt facile aberraret in nominibus. Sed  
neque tribuebat aliis, quae ipsis non debe-  
bantur. Laudauit eos, quos laude dignos  
ex

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 11

ex virtute et doctrina varia deprehendit:  
naeuos pariter indicauit eorum, qui non  
poterant obscurari, aut excusari ab ingenio  
honesto. Aberat plane beatus Bosius lon-  
ge ab illis, qui criticam facultatem exercent,  
vbi non possunt: aut temere etiam exercent  
in rebus ac studiis, quibus parum operae  
impenderunt. Nostra aetate nihil est vul-  
gatus, quam nonnullos pro arbitratu iudi-  
care de melioribus, eosque inter barbaros  
referre, et incultos, qui tamen sunt culti  
magis, et a barbarie litterarum alieni pror-  
sus: alios contra, cum quibus ipsi micant  
in tenebris, classibus doctorum intrudunt,  
immo seipsoe suique similes per affectata  
commendant ac frigida sensa, quasi iudices  
in orbe litterato, cum auctoritate quadam  
constituti. Rident omnes, quoties in hos  
incident homines emunctioris naris, iisque  
precantur mentem saniores. Neque enim  
rident tantum, sed miserantur simul condi-  
tionem illorum: quod dum omnia pene-  
trant soli ac perspiciunt, infirmitatem pro-  
priam tam flagitiose ignorent. Falsa haec  
est critica, quam non amat noster, vir sibi  
constans, et optime meritus de studiis hu-  
manitatis. Qui exempla desiderant erudi-  
tae huius *πειστως*, per historicos vniuersa-  
les obseruent, quaenam afferat noster, ex  
mente sapientum, quaenam probet, aut  
modeste recusat. Ita vero non turbantur  
in



12 GEORGII SCHVBARTI

in iudicando discentes, et qui iam profecerunt, iudicia docti scriptoris consensu velut excipiunt. Vale, BENIGNE LECTOR, et studiis nostris faue.

VI.

AD

FRIDERICVM BENEDICTVM  
CARPZOVIVM.

**I**Ngenui moris est, non profiteri magis aes alienum, et beneficia accepta, sed omnire quoque studere, ne forte immemorius, aut mentis indignae crimen vñquam opprobrio sit. Non modica sunt, quae exacto paene lustro a TE habeo, summae voluntatis pignora, non aliunde potiora aestimanda, quam pectore tam amico et candido profecta esse. Qui felicitatis humanae terminos circumscribunt, honestam consuetudinem laudant, qua vitae solamur taedia, et incommoda quaevis mitigamus, quo minus curas augeant quotidianas, atque cor ambedant. Si litteraria cogito munera, et liberale illud commercium, quod inuicem nobis est, nihil certe inuenio, vel praecarius ad voluptatem innoxiam perfruendam, vel cultum doctrinae parandum efficacius. Ament fluxum et instabile bonum, quibus opes



opes blandiuntur cumulatae, in his con-  
quiescant, ac praecipuum fortunae statuant  
ornamentum, postquam degustare semel  
cooperunt. Pulcritudinem formae magni  
faciant alii, quasi naturae dotem, quae ad-  
spectu detineat oculos, et muta sui com-  
mendatione omnium se animis insinuet.  
Neutrius vera est ac solida possessio, quip-  
pe aliena fere benignitate, non ad perenne  
lucrum, sed mediocre oblectamentum, non  
propria, sed usui commodata breuisimo.  
Honorem quidem ac dignitatem saepius pol-  
licentur, neque paucos inueniunt cultores,  
qui magna rerum ac potentiae momenta his  
deberi opinantur. Verum isti sunt, qui  
haerent in exterioribus, atque corticem ad-  
mirantur, qui speciem, non rem ipsam per-  
sequuntur. Solae bonae litterae sunt ac  
disciplinae, quarum praesidium minime  
fallax, inque communi societate mortalium  
fructus inanis. Nihil fucatum heic, aut  
longius petitum, nihil caducum, alterius  
magnitudini aut inconstantiae obnoxium,  
certa, libera, ortu diuina, ac coelestia o-  
mnia. Ut sic amatores illarum, cuinam  
studio se dederint, facile intelligent. Fa-  
miliare hoc genti TVAE iam olim noscitur,  
musas fouere in sinu, nominis honore, et  
eruditionis gloria praecellere, consilio pa-  
triam iuuare, ad salutem atque conserua-  
tionem instruere singulos, ingenii monumen-  
tis

tis deuincire sibi orbem, vota mortalium,  
et sortem reliquorum transcendere. Mino-  
ra haec proferri ad implendos tot insignium,  
et variorum in republica meritorum titulos,  
palam est, quae sua vi nituntur, et alienae  
laudis expertia, semper duratura, cum ae-  
ternitate paria faciunt. Ipse quis in terris  
nostris habearis, et apud exterros, frequen-  
tes illae testantur, et humanissimae docto-  
rum per epistolas institutae collocutiones.  
Praeterquam enim quod ciuitati TVAE,  
Germaniae ocello, capacissimo indolis vi-  
gore, operis constantia, animoque in vtra-  
que fortuna inuicto, summa fide ac religio-  
ne salubria prospicis, ita pariter litteras com-  
pletebris et earum studiosos, vt hodie sit re-  
perire paucissimos, TEcum in contentionem  
ituros. Quod autem in primis duco me-  
morable, a situ vindicas ac squalore homini-  
num eruditissimorum scripta, nec vspiam  
laboris TVI, atque cultioris operaे noti-  
tiā reddis publico, tanta modestia, quam  
in praesenti laudare, esset frigidi sermonis  
pigmento fieri molestum, ac splendori vir-  
tutum ceterarum affundere lucem velle. Rei-  
nesiana hoc luculente probant, quibus vita  
quasi per TE ac spiritus rediit, ne similia  
commemorem̄ plura. Iste etiam libellus  
procul dubio latuisset, ac, nisi manum ad-  
mouisses, non magis cum tineis posthaec  
luctatus esset, quam concerptus denique et  
arro-

**EPISTOLAE ET PRAEFATIONES.** IS  
arrosus totus inter schedas reiiculas periisset.  
Ad quem igitur alium , quam TE verum,  
eius patronum, ac prudentiae ciuilis arbit-  
trum, cuius insigne documentum praebet,  
viam affectaret, qui editionis insuper au-  
ctor, et maximus fuisti adiutor? Neque  
adducta fronte suscepturum TE esse, credi-  
par est, cum quidquid heic legas, quid-  
quid mediteris , id virtutem TVAM ac sa-  
pientiam examissim referat. VALE. Jenae  
A.D. XV. KAL. MAIAS, cloc loc LXXXIII.

VII.

AD

**LECTOREM AMICVM.**

**A**VGVSTVM BVCHNERVM inter-  
seculi huius oratores ac poetas cum  
paucis comparandum esse, et con-  
sensu eruditorum, et paeclaris ingenii mo-  
numentis, ab eo posteritati relictis, potis-  
simum docemur. Felix superior aetas, quod  
hominum doctissimorum studiis effloreret,  
nec in medio armorum strepitu, et publica  
adeo strage, humanitatis cultu destituere-  
tur, quin semper essent, qui a maioribus  
transmissam litterarum elegantiam adseren-  
tent, et contra quemuis impetum fortiter  
tuerentur. Mineruam singit antiquitas, o-  
mnis doctrinae liberalis praesidem, cum  
bello



bello arderent prouinciae, frequentes vltro  
citroque clades inferrentur, et mortales fe-  
re Iatrociniis adsuescerent, clamore ac fre-  
mitu e Iouis cerebro emersisse. Simile quid  
tum obseruares: patria vndique concitata  
ruebat in proelia, libertatis amor ac religio  
funestissimo implicabantur certamini, pri-  
stinam reipublicae faciem mutua foedabant  
odia, vrbiuum euersiones, incendia, et tri-  
ftior vbiuiis terrarum calamitas horrorem in-  
cutiebant. Non defuere inter haec ex ordi-  
ne litterato, qui imminenti barbariei simul  
obuiam irent, et quando alii fossas aperi-  
rent, castra explicarent, loca idonea vallo  
clauderent, hi artes ac disciplinas sub signa  
vocarunt, summaque cauerunt ope, ne for-  
te turbarentur. Incidit nostri virile robur  
in tempora illa, natiuitas autem in confinia  
dierum, quibus veluti maturuerant pretia  
doctis posita, ac praestantisimo cuique fas  
erat, magnorum virorum ductu ad hono-  
rem et gloriam studiorum adspirare. Dres-  
da, claritate nominis atque magnitudine,  
operum inclita, primum eum exceptit, vbi  
paterna stirps, ob raram militaris rei peri-  
tiam, et merita tot stipendia in Germania,  
Italia, Gallia, Belgio, cumprimis vero ma-  
chinarum et pyrotechnias experientiam, ho-  
norata semper, munerasque amplitudine  
spectatissima. Diuae musarum caput, ori-  
ginis contemplatione, ornatur caside, et  
insigne

EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 17

insigne eius hasta noscitur. Sic quoque virtutis praemium est, scutum impressum symbolicis imaginibus, ex castrensi opera sanguine partum, in familia conseruare, instar signi indubitati, vnde iudicium de nobilitate ac fortitudine habeatur. Quanto rectius vtrumque tribuemus huic, et parentum gloria, et virtute propria florentissimo? Iam adolescentior coepit inconditos mores, ac ruditatem aeui oppugnare, dum carmine luderet in litterarum oiores, et stultitiam eorum fama multaret, quam alia re non poterat. Portensis ad Salam electoralis seminarii conuictu id probauit, in quo domi hausta digessit plenius, et mira indolis capacitate, felici praesertim memoria, sedulus Graecae linguae ac Latinae cultor, superauit aequales, donec altioribus intentus, consilio suorum, in almam Leucoream deferretur. Heic vero, quasi in palaestra Minervae, insignes ad sapientiam duces nactus, qui voce exemploue doctrinae variae habitu eum instruxere, discendique alacritate, et commodo viuendi instituto delectati, prae ceteris amauerunt. In his amoenissimi vir ingenii, FRIDERICVS TAVBMANNVS, Francus, atque IO. RHODENBVRGIVS, Antuerpianus, cui postmodum successor in arte poetica datus, quorum usus familiaritate totum se humanioribus litteris dedit. Neque enim quidquam statuebat,

B

adeo



adeo facere ad egregium commune prouehendum, et eruditorum fauorem sibi conciliandum, praeter solidam illam atque interiorem veterum scriptorum cognitionem. Ex his in praesenti sapere, qui animo satis praeparato legerint, ex his plana reddi ac faciliora, quae antea videbantur inuicta, hinc lumen affundi tenebris, et profundam inertiae noctem in solem conuerti ac diem lucidissimum. Post excessum illorum, quos praeceptores habuerat, cum solus eleganteris doctrinae gloriam sustineret, ac mala patriae, fames cum pestilentia, sociae bellorum indiuiduae, saepius ingruerent, a proposito nunquam digressus est. Fata potius litterarum pereuntium constanter exceptit, ac quantum in se masculine obluctatus, iuuentutis desidiosae, nec sibi a primis annis recte consulentis mobilitatem, perpetua contentionem et sapientiae veteris traditionem emendauit. Aridas et inanes res, quarum prouentus hodie vberrimus, a se longe remouit, neque more aliorum in disceptationem vocauit, sed iucunda contra docendi varietate, vtriusque sermonis adparatum, gentium ritus ac leges, prudentiae monita, et inclinatam prope rationem declamandi, solertia incomparabili reuocauit, genioque aetatis nostrae perite accommodauit. Eluxit magna dicendi vis, ac sincerum de negotio ciuili iudicium, quando glorioſissimo regum,

EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 19.

regum, GVSTAVO ADOLFO, parta vi-  
ctoria Lipsiensi, laureas, hostium terorem,  
et ornamenta triumphalia, panegyrica subli-  
mitate gratularetur. Idem praefstitit munus  
electori potentissimo, IOANNI GEORGIO  
I, Saxoniae heroi, et acerrimo quondam  
patriae adsertori, cuius gratiam quoque, ac  
singularem clementiam, non semel exper-  
tus, deuotissimo passim animo praedicat.  
Qui rem publicam administrant, potentiam  
que fastigii ex ratione aestimant, perfugium  
quidem singulis artibus et scientiis praebent,  
nullam tamen admittunt proniores, quam  
flexanimam illam ac regiam disciplinam,  
praecipue si fucus absit et adulatio, quae  
magnanimis atque excelsae mentis princi-  
pibus ingrata nimiopere deprehenditur. Haec  
autem ita procul a nostra habita, vt in sum-  
morum etiam principum sacrariis placeret,  
ob laudata vera maiestatis decora, tanta vber-  
tate, vt merito dubitaretur, an beatior esset  
sermonis copia, aut iudicii acrimonia praef-  
stantior? Scilicet orator nemo est, nisi pru-  
dens, idque donum coeleste mortalibus con-  
tingere, a primis vitae publicae annis com-  
monstrauit abunde, quod ex operibus eius  
ac litterariis meditamentis discimus. No-  
uerat enim, facultatem dicendi non titulo  
magni faciendam, sed vsu, non dictione ie-  
juna et sterili, sed efficaci ad commoda ci-  
uitatis, quam in subiectis partibus tam iu-

B 2

uat



uat et exornat, vt ope ceterorum spreta-  
vnam hanc domi bellique necessariam sibi  
maxime expetat. Grauitate itaque argu-  
menti, et honestissimi loci dignitate adduc-  
ctus, nihil non egit, quo minus votis bo-  
norum satisfaceret, incuriam pubis acade-  
miae, ad artes paene lucrosas properantis,  
ac delicatum seculi fastidium abstigeret, vi-  
tam insuper propriam comitate, officiis, fi-  
de et candore probatam, regulam faceret  
iunioribus. Ista quoque causa fuit, quare  
Misnicae nobilitatis flos ipsi cumprimis cre-  
deretur efformandus, atque exteri ad eum  
confluerent, ingenti hominis celebritate  
permoti, neque studiis eloquentiae rite se  
incubuisse putarent, si cultissimum eius do-  
ctorem non audiuissent. Historicos, orato-  
res, poetas, frequenti concursu iuxta dele-  
ctuque adsectantium interpretabatur, vt  
haud raro secum traheret, qui negotiis iam  
interfuerant, aut iis iudicarentur aptissimi.  
Cum vero omnis selectioris doctrinae genere  
excelleret, nemo illum sequebatur, quin  
siue ad parandam dicendi copiam, siue ad  
vitam, consilia, mores, optima quaevis  
acciperet. Ad exemplum communis Ger-  
maniae praeceptoris, Philippi Melanchthonis,  
cuius animabat cathedram, Sturmii,  
Camerariique, factum omnino crederes,  
quorum vestigiis incedens venerandus cun-  
ctis, et inimitabilis videbatur. Legant,  
quibus

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 21

quibus haec sacra cordi sunt, et intellectum adferant parem ad haec plane internoscenda, simillima tum eruditione varia, tum admiranda facilitate comparebunt, sibique ex asse respondebunt. Vbi tamen quid fama et opinione beatissimi BVCHNERI indignum, id sane facinus erit quorundam, qui nullo adhibito discrimine vulgant, quidquid nomen eius, ac mediocrem oratoriae castitatis praefert saporem. Evidem tolerari hoc vt cumque posset, nisi essent adhuc, qui humi repunt, formulas loquendi et observationes ipsi tribuentes, minimeque diuidicantes professionis academicae varietatem, ac dissentium captum, quorsum tamen labor operisque publici finis refertur. Non ergo pleraque noster eo communicauit animo, vt ederentur olim, verum vt communiret viam per inferiora ad suprema ituris, vtque mature intelligerent, quibus praesidiis opus sit, qui absolutam veterum eloquentiam aemulari, ac pro viribus aliquando exprimere student.

At quem nunc tibi, LECTOR BENIGNUS, in manus tradimus libellum, ex hoc censu non est, annotationis cura, examine prudentiae, scriptoris nitore, et quod praeципuum arbitror, reconditi sensus indagatione, emendatione pariter ac perspicua expositione futurum haud dubie utilissimum. Tu fruere hoc ipso, et breui, quae super-

sunt ab ingenio nostri in Tacitum, aliosue  
scriptores grauisimos, sub LECTIONVM  
ACADEMICARVM titulo feliciter exspecta.  
VALE.

## VIII.

*EPISTOLA  
AD AMICVM.*

**I**Ter longinquum ingrederis: quod ut fau-  
stum TIBI atque laetum sit, ex succes-  
sibus precor. Occulta quaedam vis inest  
ei, quam fere sentiunt nostri, in patriam  
restituti. Multi enim se accingunt, minus  
recte instructi, ad peregrinandum. Alii  
parant apud exterros, quae domi aut melio-  
ra longe, aut sine tanto sumtu, ac periculo  
habere poterant. Sunt contra, qui magis  
proficiunt, et ad insignem doctrinae habi-  
tum, per colloquia sapientum, in itinere  
adspirant. De his non ignoras, quae seria  
dixerit ridendo Lucianus, in somnio. Illi  
contra, vel per aetatem, immaturam nimis,  
vel per corruptos mores indigni sunt, qui  
tempus et impensam alibi perdant. Quot  
videmus aetate iuniores quotidie, quibus  
nouitas rei tantum ac varietas oblectamen-  
to est? Neque vero isti sunt omnes nostri,  
sed plures ex remotioribus terris ad nos de-  
lati. At quando pergunt ad gentes vicinas,  
quam

EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 23

quam humaniter solent inuitari, quam benigne excipi, ut nummos tot curis ac labo-ribus in patria conquisitos profundant? In-tolerabilis est socordia plerorumque, qui tanti saepius emunt nihil, immo minus ni-hilo. Sic videoas, in comitatu praestantis-simorum, quibus obuia sunt ea solum, quae patent omnibus. Interiora sane animorum, diuersa hominum studia, praeclata inuenta artium, naturae miracula, consilii rationes, atque ciuilem in societate contextum, suis momentis aestimare vix possunt. In visu igitur, et vulgi admiratione, potiora consi-stunt. Si quam in urbem peruenere, in for-a, in singulos prope angulos immittunt, se-sse, vagi et otiosi. Ad aedificia saepius haerent, nec inde mouent oculos, quasi numerare velint lapides, atque censuram artis facere. In concione, aut promiscua, multitudine, si versantur, pro veris captant inania, ex rumoribus vulgi, eaque disseminant iuxta cum ignarissimis. Haec autem insana oscitantium stupiditas, non raro apud exterios risui petulantissimorum exposita, reduci famam prudentiae conciliat. Ita enim fert seculi genius, ut peregrinatores lauden-tur, qui comam argute distinguere, et in ordinem cogere, qui primis incedere digi-tis, quique venustatem, nescio quam, in coloribus iungendis excogitare possunt. Nonne pecunia bene collocatur, si in res tam

pulcras et non necessarias impenditur? Quantum aeris vero putas in tonstrinis, popinis, et gynaeceis periisse? Gaudent in sinu parentes, quoties comtus ita ac politus redit filius. Hunc, si diis placeret, repente ad gubernaculum reipublicae adsidere iuberent. Doctrina fordanet omnis, quia de doctis alto supercilie iudicant, non aliter quam de fungis. Aliam TIBI mentem benignior iniecit natura. Non paucas maiorum imagines animo recolis, ut dignum illis ac similem TE praestes. Non aliorum TE premunt tituli ac merita: quia his tantum stimularis ad virtutem propriam, et veram in studiis gloriam. Non TIBI vana placent et inania: quia iam inde a primis annis paterni moris grauitatem, in vultu, sermone, et actu reliquo praetulisti. Qui TE norunt, haec minora TVIS virtutibus censebunt. Triennio amplius nobiscum vixisti, quod nobile adpellant vulgo: quasi tam mediocri spatio quis in musarum adyta penetrare, et haurire singula possit, quae sufficiunt olim, ad honores in ciuitate sustinendos. Immo vixisti, antequam hic venires, alibi locorum in conuictu magnorum hominum, qui TE saluberrimis praeceptis institutisque abundare voluerunt. Haec et ratio fuit, cur modestiores alii senile quid in TE, iuuene licet, ac dogmatibus intento magistrorum, laudarent semper, cur TE sequerentur, et exempla

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 25

pla caperent. Nondum est annus, quando discessisti a nobis, ac praecipuas vrbes au-  
lasque in Germania frequentare, et fami-  
iliariter vti coepisti viris nobilioribus: in  
quibus multi erant, aut sanguine propin-  
qui, aut de studiis TVIS optima quaeque  
fecum statuentes. Litteras habeo testes,  
quam prudenter, quam moderate, quam  
sagaciter egeris, in plerisque locis: quam  
ad ea praeferim attenderis, quae intellige-  
bas e re TVA futura. Ante mensem pre-  
ter spem hac transiisti, et ad me inuisens  
multa narrasti, inter quae nihil obseruabam  
eorum, quae iactant quotidiani aduentores.  
In ore enim sunt iis fere, quae prouehunt  
luxum et inertiam. Norunt tanquam vn-  
gues purgamenta hominum, ceteraque res,  
ad explendas voluptates, largiter diffusas.  
De moribus et legibus apud exteror, de ma-  
gistratibus, et modis publicae administratio-  
nis, de vita ciuium tranquilla et copiosa,  
nihil prorsus accepere, homines trossuli, so-  
cordes, inepti: quibus ingrata foret haud  
dubie cultior doctrina, licet de coelo plue-  
ret, atque sine laboribus in sinum effunde-  
retur ipsorum. Neque sic mirum, quod  
maligne sentiant de eruditis, et artes me-  
liores, veluti capite censas, miserae plebis  
opificium dicant. Minime ex TE vel tan-  
tillum exsculpere poteram, quae huc face-  
rent. Crebrior TVA laudatio placebat, quo-  
ties



ties virtutem praedicasti quorundam in aulis, humanitatem, ac sapientiae cultum, cum nobilitate coniunctum. Neque vero nobiles viri alia ratione magis discernuntur a vulgo, ac sese efferunt super alios, quam si praeter ceras maiorum colunt prudentiam atque doctrinam. Contra si haec absunt studia, qualis erit nobilitas? mutila, crassa, aliena, orba, nullo aut numero habenda, aut loco. Inter academicos quantam indolis mobilitatem animaduertisti? Superastitamen in eo vota, quod non more plurium virtus tantum notasti, quibus obnoxii sumus omnes, quotquot in orbe viuimus. Illa, saltim est differentia, quod alii maioribus virgeantur, alii minoribus: quae tamen non ita debent explicari, quasi personam induerint virtutis. Neque sic male comparabantur inuicem, docti, candidi, inque sapientia vitae celebres, item qui pro iisdem haberent volunt, quales non sunt. Omne enim id, quod praeter verum simulant homines, ac turpiter affectant, sine magna difficultate internoscitur ab iis, qui recte educati sunt, et a fuso blanditiisque abhorrent. Mirari solemus, immo stomachari non sine ratione, quando polliceri nonnullos audimus ea, quae supra fidem sunt. Id vero tritum satis est in academiis: quare multi credunt ea, quæ vident. Quam vero libenter audiuissem, de me nihil dictum, nihil actum fuisse.

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 27

se, inter absentes? Bene enim viuit, qui  
bene latitat. Inhorruī, cum narrares, TE  
non paucos adiisse, quibus persuasum fue-  
rit, me publico scripto laudasse pontificem,  
**CAPVT ECCLESIAE CHRISTIANAE.** In  
animo id fuit nunquam, nec erit. Recte  
autem respondisti, atque ex veritate, quod  
variis lectionibus ac scholis interfueris, ma-  
xime iis, in quibus honorum titulos expo-  
sui, neque tamen acceperis dogma, in ter-  
ris protestantium huc vsque non admitten-  
dum. **REDTVITZIVM** quando nomina-  
runt, citius intellexisti, quorsum ire vellent.  
Nosti generosam huius indolem, probita-  
tem, ac sobrium viuendi genus, nosti stir-  
pem eius in patria celebratam, et studia-  
apud nos honestissima. Annus nondum  
circumactus est, cum in hac academia pa-  
negyricam **EMINENTISSIMO PER IMPE-**  
**RIVM ARCHICANCELLARIO , ELE-**  
**CTORI MOGVNTINO** sacrauit, ac diem  
celebrauit natalem IPSIVS, quo electus est  
in ecclesia Bambergensi episcopus. Ita  
enim distinguunt natalem, cum ecclesia ve-  
teri, quod sit vel naturae, et generationis,  
in has terrae miseras, vel honoris, quo  
quis gubernacula suscepit magni cuiusdam  
sacerdotii. Demonstrabam id ex epistola  
Ambrosii, ad episcopum Comensem. Ora-  
tioni commilitonis accurate intentus eras,  
oratorem laudasti, eius vim in dicendo pro-  
basti,



basti, sicuti palam testatus es, antequam  
 hinc abires. Non recordaberis facile, quod  
 papam adpellauerit caput ecclesiae CHRI-  
 STIANAE, probe vero meministi, eum  
**CAPVT** adpellasse papam ECCLESIAE RO-  
 MANAE, in qua fuit educatus, in qua vi-  
 uit hodienum. An vero sic male de ponti-  
 fice locutus sit, quem propter sacra, quibus  
 innutritus est, praecipue veneratur, alio-  
 rum sententiae permitto. **Quis nostrum**  
 aberrat, si CATHOLICVM salutet regem  
 Hispaniae, aut Britannum FIDEI DEFEN-  
 SOREM, quamuis in hac non consentia-  
 mus? Elogia sunt inter gentes, ac respu-  
 blicas, vndique recepta, quae magis ex vsu,  
 quam veritate, quis tribui statuerit. Regula  
 est artis: in laudationibus, ex falsis quoque  
 argumentari licet, vt persuadeamus. Ve-  
 rum inter sermones, de sacrorum ac profa-  
 norum hominum titulis, inter iucundas ver-  
 borum digressiones, orationem produce-  
 bas amici, typis exscriptam, in qua sine  
 mora **CAPVT** ECCLESIAE CHRISTIA-  
 NAE mihi obuertebas. Non id a TE fieri  
 praesentiebam, vt ab auditu me reduceres  
 ad visum: quae probatio est omnium effi-  
 cacissima. Antea iam in manibus habue-  
 ram, neque huius erroris eram ignarus.  
 Persistere quidem volebas in opinione, quod  
 per typos aberratum non sit: tamen ego si-  
 ne exemplari, auctoris manu descripto, et  
 in

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 29

in quo censurae vestigia passim adparent, nihil temere affirmandum censui. Hoc similiter produxi, et oculis TVIS subieci, vt crederes tandem, non aliter sensisse oratorem, quam scripserat. Vnde vero, TV instabas, hoc est malum? REDTVVITZIVS negat, schedam ex officina ad se allatam esse, in qua mutauerit quidquam. Ipse pariter adseuerare possum, dum annus prope vertit, me haud meminisse, et quidem perspicue, quomodo singula euenerint. Intervim TIBI concedam, vocem illam CHRISTIANAE surrepsisse vniuersaliorum siue incuria mea, siue alterius: quare TV meum errorem esse demonstra et humaniter excusa. Quoniam vero discessurus a me petebas, vt quae alias de CAPITE ECCLESIAE forent notabiliora, consignarem litteris, ac pro consuetudine nostra edissererem libere, ea vix negare TIBI poteram, licet per horas distentus, vocarer ad studia diuersissima. Breuiter itaque dicam, ac velut per saturam, ubi quid prosit forte, aut pertineat ad rem praesentem. Verum neque haec ita TEcum communico, quasi cum vlo deinceps in arenam, super iisdem, descendere velim: sed vt respondeam votis amici, quo magis ille verum perspicere, ac sincerum de caussa iudicium facere possit. A capite incipiam. Id vero in iure nostro, certam hominis qualitatem, conditionem, ac statum indicare,

tyro-



tyrones norunt ac dupondii. Gratianus et Valentinianus Augusti, lege secunda Codicis Theodosiani, de calumniatoribus, personam coniungunt infamem et *caput calumniosissimum*: quo ipso totum intelligunt hominem. Mitiora sunt in tropo comici, qui *caput* vocat *ridiculum*, non quod cum elephante captat muscas, sed quia Charinus dixerat, quae Dauus credere non poterat. Vides igitur, quod hoc in sensu papa, tanquam *caput ecclesiae*, persona quaedam sit *ecclesiae*. Aliter solet accipi *caput*, si consideratur ut potior corporis humani pars: atque sic fere id, quod primum est, aut supremum, significat in rebus, inque personis. Ouidius de vrbe: iamque *caput rerum*, Romanam intrauerat vrbum, id est, primam. Minuta sunt ista. Omittere tamen nolui, quia ita voluisti. Iustinianus lege XXIV. de sacro sanctis ecclesiis, Constantinopolitanam, propter sedem Imperii regiam, *caput omnium*, id est primam, aut praecipuam ecclesiam praedicat reliquarum. Quis vero ignorat, *caput* vrbi, *caput* prouinciae, matrem denotare vrbi, et quasi originem. Tacitus certe, 11. historiarum cap. LXXIX, Antiochiam *caput Syriae*, Caesaream *Iudeae* *caput*, sive metropolin adpellat. Vlpianus quarta lege, de officio proconsulis, Ephesum inter matrices vrbes laudat primam. Non alio significatu explicatur a nostris *odium capitale*,

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 31

*pitale*, itemque *capitalis inimicitia*, quam quod illud sit praecipuum, implacabile, maximum: haec vero atrox, hereditate quadam transmissa, perniciacissima. Qui vel ideo sic appellari malunt vtrumque vitium ab iis, inter quos famae et capitis fuerunt certamina, nec illos a scopo aberrare puto. Janus Langlaeus plura collegit 111. semestrium capite V, et non pauca de *inimico capitali* notauit ibidem Bernardus Autumnus. Peculiare est in legibus, si ad personas transmisimus, quod primae ex illis, aut praecipuae salutentur capita; non alio fine ac respectu, quam honoris caussa. In canone Apostolico XXXIII, apud alios est XXXIV, leguntur ista: cuiuscunque gentis episcopos oportet scire, quinam inter eos sit *primus*, ac velut *pro capite habeatur*: εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρεσβυτορινόν, οὐδὲ ἡγεμονικὸν διντὸν ὡς πεφαλήν. Canones isti vocantur apostolici, neque tamen sunt apostolorum, sicut existimarent non nulli. Antiqui sunt in ecclesia, et si quid video, per occasionem aucti, imminutiae. Sunt alii, qui omnem iis auctoritatem abjudicant. Verum hi nesciunt, quid sit genuinum, quid infitium: quia cum sordibus proiiciunt simul, quae habebant in manibus pretiosa magis, ac reiicula minime. Quid critici senserint Gregoriani de illis, quondam docuit apud nos Io. Strauchius, ad distinctionem sextam decimam, inque eclo-



ecloga VI. amoenitatum iuris canonici. Ioannes Pearson, vir doctissimus, in vindicatiis epistolarum S. Ignatii, capite IV. prooemii, non me dubium relinquit, quin canonom vel historice tantum allegem. Sed neque repeto, aut prolixius diduco, quae super eodem canone a Io. Dallaeo, et Gulielmo Beueregio sunt disputata: isto praesertim, libro secundo codicis canonum ecclesiae primitiuae, cap. V. Imperator lege VII. de summa trinitate, papam Romae veteris, honorifice adpellat in principio, μακαριστη, κυφαλην παντων, των οσιωτάτων της θεος ιερέων, beatitudinem et *caput sanctissimum DEI sacerdotum*, id est, primum aut supremum inter eos, qui sunt de sacro ordine. In lege ultima ibidem, epistola Iustiniani, per episcopum vrbis Romae Ioannem, secundum verba repetitur singula, ac maiora longe Ioanni tribuuntur elogia, quam Epiphanius Constantinopolitano. Sunt vero non pauci ex doctioribus, qui suspectam faciunt illam epistolam: inter quos excellit Iacobus Lectius, secundo praescriptionum, aduersus Antonium Fabrum, adsertione XVIII, nota quinta. Heic porro circa *Romam veterem* notes, eam sic vocari ad differentiam nouae, quae erat Constantinopolis. Alii *primam* dicunt veterem, nouam vero *secundam*. Augustinus quinto libro de ciuitate DEI, capite XXV. nouam Romam vocat *sociam*

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 33

*sociam Imperii, ac Romae veteris filiam.* Nos illam non ex translatione Imperii, aut regiae potestatis contemplatione, ita diuidimus: sed vnam eandemque Romanam, in Italia matrem urbium, veterem dicimus et hodiernam. Si quis nouam appellare velit, hodiernam, neque ipsi repugnabimus. Roma vetus a pietate, modestia Christiana, ac fide orthodoxa laudabatur: quia seruabat intemeratam eam, ac multo sanguine martyrum propagabat. Haec et sola prope fuit ratio, cur tantam ubique gentium haberet auctoritatem, et caput efferret inter omnes. Noua, siue hodierna, non potest comparari cum veteri, de consensu omnium. Illa apud primos Christianos mater sobrietatis, patientiae, atque humilitatis: haec alta petit semper, omnem in se potestatem transfert, per miras artes, ac nescit, quid sit pati, quid obsequi, ac viuere secundum praecepta superioris. Illa paupertatem colebat, et opes in manu DEI reponebat, non infensa alterius potentiae ac felicitati: haec in quaestu diuitiarum solers inprimis est, neque pascit oves, ac tondet, sed pleraque ad sua commoda adPLICAT. Quantum sanguinis effusum est, non per martyria, ad ecclesiam augendam, et fidem salutarem adserendam, sed per feroceS ac seditiosos, qui contra Imperatores auctoritatem papae tuebantur armis? In Henrico IV. pauca antehac tradi-

C

di.



di, plura explicabo in Gregorio VII, quem vulgo Hildebrandum adpellant, cuius insidias, fraudes, et consilia perniciofa, aduersus Imperium, ex piis et grauissimis illius aeu*i* scriptoribus annotau*i*. Neque enim video, quare series rerum intricata, sub utroque, difficultatem obiicere debeat: quippe faciliora nobis in studiis horum temporum adparent. Ita vero longius digredior a capite ecclesiae, de quo dicere cooperam. Facit vtriusque Romae consideratio, ut diuersos animorum habitus, circa ambitionem et primatum capitis in ecclesia, porro declarerem. Nostipassiuam, et ubique descriptam sententiam, quasi Petrus apostolus conditor sit Romanae sedis. Is vero propter ordinis differentiam perinde vocatur *caput*, id est primus, sicut veteres, ita loquentes, Casaubonus interpretatur exercitatione XV. contra Baronium, numero XVI. Addit ibidem: Petrus *caput apostolorum* vocatur, *propter ordinis primatum, non propter imperium, dominatum, monarchiam.* Immo neque solus Petrus ita audit, sed et plures inter apostolos. Damascenus in acrostichide, de transformatione, Petrum, Ioannem, Iacobum nominat τὸς προπίτες, τὸς τῶν μαθητῶν ἐξάρχες, *praecipuos, apostolorum antesignanos, principes*, non a potestate et imperio, sed ab ordine. Qualis enim ecclesia futura fuisset, ἀνευ τάξεως, καὶ εὐχημοσύνης, sine ordine ac forma

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 35

forma decenti? Neque est, ut quis ad haec elogia, in ecclesia veteri exhorrescat, ea- que tanquam inusitata execretur. Dominatus iis nondum subest papalis, qui deinceps inualuit. Maior fuit modestia, maior innocentia, primorum ecclesiae Christianae conditorum, qui post apostolos fidem orthodoxam in orbe propagarunt. Nunquam dis- plicuit sententia, quod ecclesiarum amplificatores ad omnes in Imperio Romano pro- uincias, earumque diuisiones respexerint: quia per has ab initio florere coepit Christianorum doctrina. Quemadmodum vero metropoles Romani habuerunt in prouinciis, vbi praefides et alii magistratus residebant maiores: ita ecclesiae pariter in his condi- tae, nomen retinebant a matre, et qui praearant iisdem in prouinciis, metropolitae ad- pellabantur ac *primates*. Sic quando apo- stolus dedit epistolam ad Romanos, non eos fere intelligit, qui erant in vrbe, sed omnes, qui erant in prouincia, ac fidem salutarem amplectebantur. Falsa itaque et inconsulta est conclusio Parisii, consilio CXLI, in vo- lumine IV: *episcopi hodierni sunt principes ter- rae, sicut fuerunt apostoli.* Ex paucis huc vs- que allatis, nisi fallor, optime capis, quo sensu principes, aut primi dicantur aposto- li, viri apostolici, ac reliqui doctores eccle- siae. Quando autem, successu temporis, non contenti fuerunt honoribus episcopi,

C 2

siue



sive titulis competentibus, sed ad potestatem adspirarunt, viribus suis maiorem, fieri non potuit aliter, quam ut ad se pertraherent, quae profana erant atque ciuilia. Neque enim caput iam designabat amplius eum, qui in ordine primus erat, aut vita studiisque praelucebat aliis: sed, qui principatum in omnes inferiores, ac dominatum sibi arrogabat. Obstiterunt sincerae pietatis cultores in ecclesia, et ad CHRISTVM IESVM prouocarunt, verum ecclesiae caput, sicut ipsum describit apostolus. Inter hos est praesul ecclesiae Romanae, Gregorius Magnus, qui circa seculi sexti ac septimi confinia, libro quarto, epistola XXXVI, ait: *vnum rex, vnum monarcha, vnum solum CAPVT IESVS CHRISTVS.* Ac licet non defint, qui ex canone apostolico, superius adducto, potestatem aliquam velint adscribere primo inter episcopos, per verba, quod sine eius voluntate nihil recte agant ceteri, illis tamen obstat, quod ibidem dicitur: *primus quoque nihil facere quidquam potest, ἀντι τῶν πάτερων γνώμης, nisi de sententia omnium.* Photius explicat ista sequentibus: ne primo quidem episcopo permittit canon, *καταχρῆθαι τῇ τιμῇ, οὐδὲ ταύτην εἰς δυνατεῖαν αποίθειν, οὐέταυθεντεῖν,* honore sibi dato abuti, eum revertere in dominatum, sive principatum, inque ceteros usurpare auctoritatem. Quemadmodum vero in secundis fieri solet, ut per occa-

EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 37

occasione<sup>m</sup> tendant vltterius, quamuis possent subsistere in loco satis aequo et tranquillo, ita pontifices Romani nunquam adquieuerunt, ac res habere suas voluerunt, sed Imperatorum ac regum iura, per fulmina, in primis dissipantia, aut infirmarunt, aut sibi sumserunt impio ausu. Ex vicariatu, itemque vicedeatu papali, constat abunde, quo usque potestatem suam extenderint. In probando illo, sicut nondum speciale mandatum, vti loquuntur nostri, ex diuinis adducere potuerunt, ad legitimandam personam suam: ita neque hunc aliis voluit admittere, nisi qui superstitione credulus est. Evidem indignor, quoties perlego epistolam IoCXXIV. Isaaci Casauboni, ad Frontonem Ducaeum, in qua Hildebrandinae et Bonifacianae doctrinae capita, de monarchia ecclesiastica attingit. Hanc si legeris, paria mecum senties. Quidquid tamen sit horum, crevit potentia clericorum, singulis prope seculis, et iam pridem obtinuit in ecclesia distinctio, petita ex actis conciliorum, per quam τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, primatum honoris, et ordinis, sicut antea vidimus, discreuerunt δύο τῶν πρεσβείων τῆς ἐξοικείας, a primatu iurisdictionis ac potestatis. Plura habet beatissimus vir, Caspar Zieglerus, in primo de episcopis, cap. VII. Per illum non nisi προεδρίαν, siue praerogatiuam honoris solam demonstrant, per hunc

C 3

προ-



*προσανίαν*, administrationem, ac ius cum potestate metropolitica coniunctum. Neque sic prorsus negatur, quin honor quoque ac dignitas quandam includat potestatem: sed illa nec maior esse debet, quam canones permittunt, neque ad ea proferri, quae sacros homines a munere suo auertunt, et profanis implicant. Paucissima restant in verbis ECCLESIAE CHRISTIANAE. Evidem typis ea sic exscripta legimus, in oratione: quae tamen ex prototypo, et mente oratoris, ita sunt restituenda: ECCLESIAE ROMANAЕ. Haec vero est altera pars ecclesiae vniuersae, quam in Graeciam et Latinam vulgo diuidunt. Christianam vocari eam posse, nemo inficiabitur: sed in sensu particulari, ne quis existimet, nos extra terminos vagari, et papam coleare, cuius potestas, in ecclesia nostra, per legem Imperii est nulla. Neque alio sensu Carolus IV. *Imperium nostrum* vocat CHRISTIANVM, in prooemio aureae bullae: non quasi alia regna non sint Christiana. Immo Francicum vocatur *Christianissimum*, non ex titulo, quem stylo publico reges usurpant in Gallia, sed per liberum ac solenne elogium, sicut explicat Boeclerus, in vindiciis Sacri Romani Imperii, aduersus Blondellum. Limnaeus ad principium Carolinae bullae obseruat, *Romanum Imperium dici Christianum*, postquam suscepit religiōnem

EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 39  
nem Christianam. Clerici sane angustiori  
significatu, in ecclesia prisca, nominantur  
*Christiani*: item *votum Christianae legis* non est  
professio fidei ac religionis Christianae, sed  
conuersatio et *professio clericalis*, notante Ia-  
cobo Gothofredo, ad legem XVI. Codicis  
Theodosiani, de episcopis et clericis. Ex  
his, velut exemplis, discere possumus, no-  
mina ex vsu valere, ac saepius ex vniuer-  
sali sensu transfire in particularem. *Quis*  
vel parum versatus in monumentis antiquis  
ignorat, commune quondam ecclesiae to-  
tius, et Christianorum omnium fuisse no-  
men clericorum? Atqui hos usus deinceps  
et auctoritas ecclesiae fecit *ex auctoritate*, ut soli  
fere adpellarentur clerici, qui diuino cultui  
impendebant ministeria religionis. Plura-  
si adderem, contra decus epistolae agerem.  
Vale, academiamque nostram, in qua pro-  
fecisti, apud doctos homines, de meliore  
commenda, et saluta omnes mihi amicos.  
Scribebam Ienae, A. D. XX. AVGUSTI,  
CLOCC XCVII.

## XI.

AD

## BVRCARDVM GOTTHELE STRVVIVM.

**H**ederam non suspendo, nec officio prae-  
conis defungor, quando ad optima-  
C 4 que-

quaevis intento TIBI, animum tam praeclarum et constantem gratulor. A primis annis sic prope formatus es atque educatus, ut alia non sperarent, quibus indoles TVA perspecta. Nihil occurrebat, per industriam et fidem magistrorum, in scriptoribus notae praestantioris, quod remoram ficeret. Processisti adeo, sine difficultate anxia, vltra communes lineas, et mentem imbuisti doctrina iuxta ac lingua veterum, quae vtrinque placeat necesse est melioribus. Neque enim curas, quae vulgo spernuntur ab ignarioribus. Ita vero comparatus feliciter transfisti ad legum studia, quae familiae TVAE propria veluti et hereditaria, magnique parentis ductu fundamenta rite posuisti. Labor improbus, et memoria tenax, ordine promouentur, ac discernendi facultate naturali. Sed neque ex his, diuino beneficio, TIBI quidquam deest. Adsidius es in doctorum scholis, lectione erudita, et meditatione firmas ab aliis tradita, inque congressibus parium, honestissima quaeque aemulantium, partes egregie sustines. Domi vel ex adspectu profcis, inter monita, et exempla saluberrima, paucis admodum concessa. Multum sane interest, siue cum iis verseris, qui omnia mouent, ac docent, siue cum expertis, qui senio negotioso praezellunt, usque rerum singulari, vnde non nisi necessaria haurias. Ibi multa accipis, multa

## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 41

multa quotidie, non aliter quam in peregrinatione vides audisue: heic tecum quasi habitas, et non tam varia, quam ciuitati profutura cognoscis. Ibi discurris, ac saepe captas inania: heic in nutu et verbis, quae vera, quae iusta sunt ac decora, procul strepitum discis. Felicem TE vtique ac fortunatum, qui naturae bonis, et disciplina domestica, id agis florida aetate, quod prouectoribus vix licitum est. In praesenti arguento, qua sedulitate, qua doctrina et arte, singula perfeceris, non sollicite praedicabo, quippe nosti probe, quam vana sint plurimum in his ausa. Fac saltim porro, coelesti ope, vt, quam insistis viam, ex voto decuras, ac sine impedimento. Sic gaudium incomparabile parentum, sic patriae spes erit certissima, TIBIque operam constantem, largiter pensabit. Vale.

### X.

AD

## IO.HIERONYMVM VVIEGLEBIVM.

**Q**vando lectiones in libros Ouidii metamorphoseon auspicarer, inter cultiores animos TV fuisti, quibus placuit ad medullam penetrare vatis, ac veram illius doctrinam, non fabulam amare. Haerent plerique ad ossa, et mirantur nitorem externum, dum laudant ingenium, et singulare

C 5

trans-



## 42 GEORGII SCHVBARTI

transformandi studium, quo maxime excellerit noster. Verum alia TIBI mens, aliud vitae decus, aliud in litteris hauriendis propositum. Neque enim ad ostentationem facis quidquam, ut carmen forte pangas, unde furor aestimetur poeticus, aut vena inaniter profluens, sed ut praeter elegantiam carminis, cum sapiente antiquo sapias, aut proprius duntaxat ad ipsum accedas. Haec disciplina superiorum fuit temporum, cum florarent ingenia, erudita prorsus ac modesta, quibus dignum vnde constabat pretium. Si numerum inire vellem, non epistolam scriberem. Gymnasii patrii solius antistites ac rectores, quoties reuoco in memoriam, felix illud atque celeberrimum puto, quod iam ante reformationem euangelicam Mutianum quendam Ruffum, ex nobili Hassiae familia ortum, liberaliter aluerit in monasterio, quale tum erat. Magna eius et multa laus, apud Camerarium, in narratione de vita Eobani Hessi, inque libello nouo epistolarum, vbi commendat ipsum, quod ad se crebro venientes vel carmine proposito, vel in epistola scribenda, excitarit, atque sic fundamenta posuerit doctrinae melioris, quam hodienum ibi cum gloria propagari nouimus. A VVilkio sane, VVeitzio, Reyhero, velut successione legitima, supersunt ingenti rei litterariae commodo, Hessi, Rumpelii, Tenzelii, quorum

rum manu TV formatus, et ante triennium  
huc delatus, ad hoc praeципue incubuisti,  
ut fructum sentirent patroni, quorum vo-  
luntate summa Franzkianum stipendium ac-  
cepisti. Praesens dissertatio satis testatur,  
quam bene sumtus cum tempore collocae-  
ris: testabuntur posthac ingenii monumen-  
ta plura, TE non immemorem fuisse bene-  
ficiorum. Fac saltim, quam diu nobiscum  
viuis, ne aliorum digrediaris et studia' co-  
las, quae piae dispositioni beati cancellarii  
respondeant minus, minusque proſint.

B. V.

## XI.

AD

M. IO. GEORG. OST.

**Q**uando huc venisti e patria, statim te-  
status es industria, probitate, et mo-  
destia, te sequi DEVVM, et amare bonas  
litteras. Vtrobique specimina dedisti. In  
cultu diuino serius, attentus, ac pius eras:  
quare sensisti, ex voto tibi succedere in stu-  
diis pleraque. Sospes apud nos egisti, sine  
impedimento alio grauiore, et omnes tibi  
conciliaſti, qui te nosſe coeperunt. **Q**ui  
enim colunt numen aeternum, de auxilio  
coeleſti poſſunt eſſe certiores. Nec homi-  
nes oderunt illum, qui bonus eſſe studet:  
quia virtute nihil maius in terris, nihil pre-  
ſtantius habetur. Iam vero qui DEVVM fin-  
cere

44 GEORGII SCHVBARTI

cere amat, et in omni vitae actu respicit ad illum: qui honesta singulis praestat officia, et cum bonis versatur, ille sibi prospicit satis, et felix est vndeque. Neque enim tibi huc usque necessaria defuerunt, quae patria, ciuum amantissima, largitur abunde: neque tibi occasio defuit, progrediendi ad maiora. Probatur id ex praesenti dissertacione, quam non ex triuio proponis. In hac quae tradis, per veterum et optimorum quorumuis testimonia confirmas. Sic igitur demonstras, quam egregie profeceris ab illo tempore, ex quo delatus ad nos fuisti. Perge modo, sub protectione diuina, et quam semel ingressus es viam, in studiis et praeclaris moribus absolue. Nunquam cessabunt praemia, quae tibi non vano polliceor augurio. Vale. A. D. XXVIII. SEPT. MDCC.

XII.

AD

IOANNEM CHRISTOPHORVM  
KIESEVVETTER.

PRimum das ingenii monumentum, gigantes ab Ouidio descriptos. Multis hoc argumentum leue videbitur, aut prorsus inane. Nostri enim mores nostrorum, quamque sit facile, aliquem praeter merita sua fabulam fieri. Sed nolim extimescas rudiores, qui sapientiam in poetis reconditam



## EPISTOLAE ET PRAEFATIONES. 45

tam capiunt minime. Exempla numera-  
sumorum hominum, qui huc conuersi, de  
gigantibus prolixo egerunt, non sine nomi-  
nis honore et gloria. Qui hisce non mo-  
uentur, stuporem produnt in litteris. Si  
quid in TVIS meditationibus obseruaui, pro-  
cedis vterius, et non solum de statura et  
proceritate quaeris, sed et quid per hos in  
genere morum intelligatur, explicare stu-  
des. Fac ita semper, et veteres ita lege.  
Non TVA minor erit existimatio inter do-  
ctos, quam fuit aliorum. Hoc autem fiet,  
si infra iram habeas, qui studiis nostris ob-  
trectant. B. V. Ienae, XV. AVGVSTI,  
clo 10 XCII.

### XIII.

AD

## FRIDEMANNVM POSNERVM.

Miseria hominum conditio est, quam in  
beato matris excessu satis cognoscere  
potuisti. Discesseras a nobis, non sine in-  
genti parentum gaudio : quod augebant  
plurium vota, et sincerae acclamations.  
Neque enim sunt adeo multi, in hac bona-  
rum artium palaestra, qui ex domo sua fe-  
lices prodeant, ac fata sibi benigniora ex-  
periantur. Intercedunt homines, qui no-  
cent blandiendo. Sunt alii, qui commen-  
dant, et obsunt per laudes emendicatas. Alii  
pla-



placent vndique, et qua possunt saltim parte  
insidiantur. Lubrica sic patet ad honores  
via, quam terunt pauci, sine virtutis expe-  
rimento. Inter hos, nisi fallor, TV quoque  
eris, vir amicissime, qui per negotia gesta di-  
dicisti, quales passim obuenerint homines.  
Rident cum plorant, ac plorando saepius ri-  
sum excutiunt melioribus. Non curas eius-  
modi genus mortalium, ad optima quaeque  
natus, et institutus. Praua indoles non agit  
radices, nisi apud simillimos. Quae autem  
cum successu peragunt, velut ex casu pere-  
gisse videntur. Accedit ad insignem doctri-  
nam et virtutem TVAM praeclara laus, et  
honesta opinio, quam de TE conceperunt  
singuli, quibus innotuisti. In patria sane  
academia plerosque doctores audiuiti, eos-  
que fautores habes. Verum neque horum  
elogia desideras: quia TIBI sufficis ipsi, et  
quotidie testaris, in actu rerum, quae bona  
DEVS concederit, quamque illa recte ad ci-  
uitatem transtuleris. Praefens argumentum,  
ex vario iure deductum, ostendit raras inge-  
nii dotes: quas deinceps maiores deprehen-  
denter, quicunque ad maiora TE vocabunt.  
Felicitate agere coepisti negotia, postquam  
studia perduxisti ad finem, et porro felicio-  
ra tractabis omnia. Perreexisti in flore ae-  
tatis ad difficiliora: sed olim senties, quod  
cumulentur ex hisce initiis vera honoris ar-  
gumenta. Haec precor sollicite, ac TE sem-  
per optime valere iubeo. Scrib. in academia  
lenensi, Pridie Kal. IVL. clo loc XCVI.

Franconia felix  
 quae tot sideribus illustratur  
 ex sacro et ciuili ordine  
 immo felicissimam quis dixerit  
 quod sol ibi non occidat  
 per opera heroum  
 per curas principum ac vigilias  
 pro salute publica,  
 quae nullis temporum interuallis  
 distinguantur  
 neque ex spatiis diei noctisque mensuram  
 capiunt  
 irrequieta sunt ac perennia  
 si qua enim parte videntur cessare  
 ex altera statim instaurantur  
 vt sic occasus cum ortu semper iungatur  
 Bamberga cum primis felix  
 quae principe gaudet  
 patriae felicitatis amantissimo  
 cuius patent merita  
 in curis imperatoriis subleuandis  
 in desideriis procerum ciuiumque explendis  
 in studiis bonorum omnium promouendis  
 per seriem benefactorum perpetuam  
 per occupationes  
 occupationibus continuatas  
 eminentissimus is princeps est  
**LOTHARIUS FRANCISCVS**  
 metropolitanae sedis moguntinae archiepi-  
 scopus, S. R. imperii per Germaniam archi-  
 cancellarius, elector, princeps et epi-  
 scopus Bambergensis  
 Dominus noster clementissimus

iste sol est patriae  
 cuius lumine fouentur singuli  
 in cuius adspectu defixi haerent  
 quorum felicitas et conseruatio  
**Cum annis publici regiminis multiplicata est**  
 hi vero diei recordantur auspicatissimi  
 quo vnamini per omnia suffragio  
 et laetissimo imperii consensu  
 inclitus princeps intra biennium  
 ad duplex pallium in ecclesia vocatus est  
 recordatur eiusdem  
**Flos immediatae nobilitatis Franconiae**  
 generofissimus iuuenis  
**ALEXANDER HENR. de REDTVVITZ**  
 qui die futuro mercurii  
 hora X. matutina in templo academico  
 eminentissimo principi electori  
 et patriae simul vniuersae  
 de felicitate administrationis publicae  
 inde a primo electionis tempore  
 subiectissima deuotione gratulabitur  
 et porro fausta precabitur omnia  
 hunc vt benigne audiant  
 rector academie magnificus  
 patres eiusdem conscripti  
 qui que sunt doctri doctisque fauent  
 generosa in primis ac nobilissima concio  
 amicorum commilitonumque  
 officiose et peramanter oro

---

Finis fasciculi primi.

---

p. 9. pro meriti lege mariti.

(3)

PROGRAMMA  
IN FVNERE  
*NOBILISSIMI CONSULTIS*  
*SIMI<sup>Q</sup>VE*  
VIRI  
GEORGII  
SCHVBARTI  
ELOQVENTIAE ET HISTO  
RIARVM PROFESSORIS ORDINA  
RII CELEBERRIMI.

P. P.

IN ACADEMIA IENENSI.

---

AD D. XXII. AVGUSTI, MDGCI.





X qua tempestate litterae me-  
liores in Germania quoque  
efflorescere coepere, illud cer-  
tamine quodam sirenue ege-  
runt principes ac respublicae,  
ut ad omne liberalium artium genus, non ex  
lacunis turbidis, sed ex ipsis Graecae ac Ro-  
maniae sapientiae fontibus hauriendum;  
in primis ad eloquentiam et rerum gesta-  
rum cognitionem erecta ingenia ducerentur.  
Ac singulari fato exoriebantur, post com-  
munem illum Germaniae praceptorē, Phi-  
lippum Melanchthonem, duo maximi viri,  
sapientia, eruditione, omnique animi cultu cum  
optimis veterum comparandi, Ioannes Sturmius  
et Ioannes Caselius: quorum alter in Argen-  
toratensi athenaeo, alter Rostochii primum,  
deinde in inclita Iulia, tam enixam, tamque  
felicem in scholis, ad scopum, quem laudauim-  
us, conuenienter constituendis, operam po-  
suere; tam salutaribus consiliis, tam inde-  
fesso labore praeluxere litterariae publi, ut et  
principes summos accenderent ad petendum  
ex studiis humanioribus decus, et vicinas re-  
motasque regiones hominibus solide doctis im-  
plerent: in hunc diem, quamvis iamdiu ex-  
empti rebus humanis, non parum iuuantes pa-  
triam; quodque alicubi adbuc locorum inie-  
ditur

ditur recto itinere , et ingruenti barbariei,  
quantum potest , aditus p raeclad i ntur,  
vt id sibi , tanquam auctoribus adsc ibatur ,  
baud dubie promeriti . Eni n-  
uero nunquam cessauere munificentissimi  
Academiae nostrae Conseruatores , quin  
et hac parte commodis publicis , iuxtaque au-  
gusto nomini suo sollicite consularent : neque  
defuere temere viri ingenio , doctrina , vir-  
tute , maxime cultu studiorum , quibus p rae-  
cipua gloria paratur , insignes , qui sedem  
hanc Musarum pro viribus illustratum  
irent . Illud impendio dolendum est , p rae-  
maturo excessu , aut alio , nescimus quo fato ,  
subinde nobis eripi , quorum quam damnosa  
baberi iactura debet , tam difficulter , bac  
p raesertim aetate , tantaque penuria ingenio-  
rum , non falsa meriti opinione , aut impro-  
bo ambitu , ad munia publica contendentium ,  
sed perpetua sollertia , bona e mentis studio , legi-  
timoque tramite verum quaerentium decus ,  
suppleatur . Atque eandem dolendi necessi-  
tatem nobis imponit vir nobilissimus con-  
sultissimusque , GEORGIVS SCHV-  
BARTVS , eloquentiae et historiarum  
professor celeberrimus , ordinis sui se-  
nior , collega noster perquam honorabilis .  
Qui quam olim viam Sturmius et Caselius ;  
quam horum admiratores et sectatores stre-

nue praeiuere, viginti amplius annorum spa-  
tio, quo publice docendi munere perfunctus  
est, tanta cura iuuentuti, ad interiores litteras et multiugam eruditionem, ad antiquae  
sapientiae thesauros, omnisque aevi historiam,  
ad virilem, nec inanibus verbis luxurian-  
tem facundiam, semper commonstrauit;  
tam praestantibus ingenii monumentis, sin-  
ceram sibi duraturamque claritudinem inuenit;  
ut et ostentare virum inter ornamenta Lycei  
buius, et aequa promittere ex eodem pluri-  
mum adbuc bonae frugis possemus, nisi com-  
mune doctissimis mortalium fatum, ante  
diem, et praeter opinionem omnium abstu-  
lisset. Dederat cum huic orbi, abbinc quin-  
quaginta, et quod excurrit, annis, non ob-  
scurum Franconiae oppidum, HELDBVR-  
GVM, laeto magnorum hominum prouentu,  
rem ecclesiasticam et ciuilem pasim per Ger-  
maniam, multaque ex studiis fama, singula-  
riter ornantium, nobilitatum. Si parentes  
et familiam repeatas, utrique per honesti sunt.  
Pater quidem, vir integerrimus, NICOLAUS  
SCHVBARTVS, cuius quondam et oenopola:  
mater, antiqui probique moris femina, DO-  
ROTHEA, pariter Schubartinae gentis: quae  
ut complures in ramos disperita est, sic virtu-  
tate inter potiores semper enuit. Vix duo-  
decimum aetatis annum compleverat, quam  
pie-

pietatis praeceptis, inque oppidana schola pri-  
mis litteris imbutus, Noribergam mitteretur,  
a pastore et theologo in urbe primario, IO.  
**MICHAELE DILHERRO**, comiter suscep-  
tus. Qui indole pueri, supra aequalium vulgus  
eximum aliquid praeferentis, mirifice captus,  
bunc aluminum suum clarissimis viris, scho-  
lae Sebaldinae moderatori, **ADAMO ZAN-**  
**NERO**, itemque **CHRISTOPHORO ARNOL-**  
**DO**, eloquentiae ac Graecae linguae in Aegi-  
diano professori, tradebat excolendum. Ne-  
que ille calcaribus indigere, aut ad prava  
fodalitia deerrare; sed certare potius cum  
industria praeceptorum, et iam tum nihil  
sibi triuiale proponere: eniti per aspera for-  
tunae, et quidquid durius sustinendum  
erat, fiducia diuinae opis ac fortis olim  
melioris superare. Sensit etiam ac gratus agno-  
uit coeleste praesidium, porrecta sibi manu a  
viris in Deum religiosis, in egenos munificis,  
et solum ab his animum beneficium non imme-  
morem poscentibus: **PAVLO VVEBERO**,  
itemque **IO. GRAEFIO**, venerandis apud  
Noribergenses theologis; **IO. GEORGIO**  
**VOLCKAMERO**, medico praezellente, et  
**IO. LEONHARTO STOEBERLINO**, virtu-  
te ac dignitate splendidissimo. Quorum in-  
se benignitatem, integris decem annis, etiam  
quam digressus Noriberga esset, continuatam,

non priuatim modo praedicauit nosfer, sed  
publico elogio ingenue est testatus. Sexen-  
nium exegerat sub magistris Latinae ac  
Graecae litteraturae, eosque fecerat pro-  
gressus, ut par iam censeretur graui-  
ribus meditamentis. Ablegabatur igitur a  
patronis in Academiam banc, inclytæ Rei-  
publicæ, et maxime DILHERRO, eloquen-  
tiam olim et historias, quin et theologiam  
apud nos, sed quasi futurae magnitudini tan-  
tum praeluderet, profitenti, semper adama-  
tam. Per commendatitias, quas secum at-  
tulerat, litteras, ROLFINCIO, SCHEN-  
CKIO, FRISCHMVTHIO, viris nunquam  
sine honore memorandis, statim innotescens,  
et humanæ sapientiae doctores, inque his  
IO GVILIELMVM BAIERVVM ac VALEN-  
TINVM VELTHEMIVM, post id temporis  
sacrarum litterarum professores, ingentibus  
in publicam rem meritis praesignes, assidue  
seccatus, tandem et natura duce, et pruden-  
ti consilio permotus, polyhistori magno, IO.  
ANDREAE BOSIO, totum se dedit forman-  
dum. Cum quo in museo saepe versatus, et  
inspiciendi voluendique optimos scriptores oc-  
casione nactus, quantum etiam his illisve  
tribuendum esset, subinde monitus, totusque  
lectioni veterum, ut genuinam inde cum do-  
ctrina meliore eloquentiam hauriret, inten-  
sus,

tus, tantopere in dies augebat profectus suos,  
ut et praceptor multum redderetur carior,  
ultimo quoque Iosephicae editionis curis ad-  
bibendus, et a magnifico iureconsulto, IAC.  
**HENRICO HEIDENREICHIO**, in  
aula Saxo-Gothana praeside consistorii sa-  
cri et consiliario grauisimo, regendis filii  
natu maioris studiis expeteretur. In noua  
bac et praesaga laetioris fortunae sede,  
ex sapientissimus patroni et hospitis sermoni-  
bus proficiendi opportunitatem omnem arri-  
piens, insuperque viris prudentiae, doctri-  
nae et meritorum fama eminentibus, IO. IA-  
**COBO AVIANO**, per id tempus consiliario  
Gothano, mox ad ampliores dignitates eue-  
cto, bincque in aulam Coburgensem, tan-  
dem Spiram Nenxtum, Gallicano marte  
nimis iam peccitam, euocato; nec non  
**ADAMO TRIBBECHOVIO**, Doctori theolo-  
giae et artisstici primario, conciliatus, pri-  
mum hunc gradum fecit ad professorium apud  
nos munus. Commoratus Gotha per duos  
admodum annos, et Principali stipendio au-  
ctus largiter, ad Parnassi nostri, quae tam  
aegre deseruerat, amoenissima iuga plenus  
animi reuertebatur. Hic veteres delicias,  
quia ex intercapidine, et post longam velutū  
in diem, multo audiūs repetens; praeterea  
tauμαθεσάτε iureconsulti, IO. SCHILTE-

RI, cuius conuictu fruebatur, assidua con-  
suetudine doctior quotidie, itidemque cautior  
euadens, et exemplo bortatibusque tanti viri  
ad iurisprudentiam iuxta animum applicans,  
tam feliciter progrediebatur in utroque studio-  
rum genere, ut acceptis magisterii bonoribus,  
et commendatione collegii Philosophorum am-  
plissimi in professorum ordinem adscriptus,  
docere publice eloquentiam ac poesin iubere-  
tur, nec diu post in ciuili et canonico iure  
summis perornaretur titulis ac priuilegiis. Sor-  
titus postremo etiam historiam tradendi mu-  
nus, nulli pepertit operae, quin et voce et  
stylo, tam domesticis quam publicis scholis,  
frequentibusque dicendi exercitationibus, A-  
cademiam haud minus, quam spartam utram-  
que decoraret: factis praeter haec crebris iu-  
ridicis acroasisibus, ut quantum elegantiores lit-  
terae legum cultori praesidii adferant, exemplis  
ostenderet, suosque ad honestissimam stimula-  
ret aemulationem. Nihil ille indignius ferre,  
quam pernicioas artes hominum, ut sibi aucto-  
ritatem quaerant, vetera omnia impudenti con-  
temtu reiicientium, inductis nouis, nullo adhuc  
usu confirmatis, quin ipso tandem auctorum iu-  
dicio damnandis, aut dogmatibus aut rationi-  
bus docendi; et praecepitato consilio, ac tu-  
multuariis libellis, quin professa barbarie,  
ac commendatis in exemplum, quos nemo  
sanus

sanus probet, scriptoribus, corrumpentium  
inuentum, ut imprudentem ob imperitiam  
aetatis, ita ad abnormia et paradoxa pluri-  
mum stupentem, cuius tamen salutem et for-  
tunas praeceteris videri volunt curauisse. In  
bos inuehebatur subinde, idque, ut natura  
in iram erat pronior, non sine stomacho:  
suetus alias, quae in studiis, scriptis, factis  
ac moribus hominum reprobenda censem-  
bat, *μητρὶ ποδὸς παρπόντιας*, nec ullo offen-  
sionum metu notare; tam alienus a seruili  
placendi libidine, ut dicendi, quod sentie-  
bat, libertatem omni dissimulationum arti-  
ficio, omnibus adulantium blanditiis ante-  
ferret. Non ille per artes et illecebras corro-  
gare auditores; aut, ut aduentantes reti-  
neret, agyrtae instar se ridiculum facere:  
quin seuerus potius, et rerum, quas expone-  
bat, pretio consitus, tam intolerans erat iu-  
uenilis licentiae et indecori omnis, ut, nisi  
ubertate eruditionis, et praesentissimis, qui  
in doctrinae cupidos redibant, fructibus de-  
siderium plura cognoscendi incendisset, mul-  
tos a se fuisse alienatus. Itaque ut nemini  
nem unquam poenituit, SCHVBAR-  
TVM habuisse doctorem: ita nec defuere,  
qui satis magno numero (quamquam in-  
nulla re, quam in concursu et applausu  
vulgi, minus gloriae ponebat) seu publi-



ce seu priuatim docentis scholas celebrarent. In his non pauci singulariter commendati; etiam aliqui ex illustrissimae dignitatis pube: multique iam rebus gerendis admoti, penitus demum intelligunt, quantum referat, quorum usus disciplina fueris, aut spectaueris exempla. Ne sine leuamine curarum, quas vita haec habet; aut sine dulcedine ac gaudiis esset, quae faustum et concors connubium promittit prae statque: mature sibi dispiciebat laetorum tristiumque sociam, virginem tam pudicitia quam forma, et cunctis sexus sui decoribus effulgentem, MARTHAM CHRISTINAM, viri clarissimi, M. MARTINI RINGLERİ, senatoriae apud nos scholae per viginti quinque annos quondam rectoris, fidu et industrii, filiam superstitem unicam. Cum ea sine prote quidem; quae enim ipsis nascebatur, festinato fato extincta est: de cetero tamen mutua caritate, et quantum inter mortales fieri potest, beate vixit, prudentia et frugalitate, obsequio, suavitateque uxoris oppido delectatus. Sic praeterea constituerat rem domesticam, ut, quamuis aliquotiens non spernenda ipsi conditiones, et, quod ad laudem viri pertinet, in exteris quoque ac remotioribus terris offerrentur, in hoc tamem

tamen fortunarum suarum gratissimo nido,  
tanquam in patria altera, praeoptaret defungi.  
Interea perpetuum habuit cum viris in aulis, in  
Academis, ac passim alibi egregiis, litterarum  
commercium, in quibus semper aliquid, quod  
publice legatur, deprehendas dignum. Obti-  
gerant ei multa naturae bona: ingenium ex-  
cellens et perspicax; iudicium plane censorium;  
memoria tam acris, et reddendis, quae semel  
acceperat, etiam minutissimis rerum exprom-  
ta, ut nunquam sermonis desiceret copia, sique  
indulgere sibi noster voluisse, totos dies dicendo  
potuisse eximere. Corpus procerum ac tenue:  
vultus, ille animi index, fere adductior, seueri-  
tatis aliquid, ac pariter ut incessus, meditabun-  
di speciem praese ferens, arcano quodam ocu-  
lorum lumine: vox sedata et depresso, ac nisi  
commotior ipse redderetur, blandissimae suau-  
tatis. At corporis robur minus firmum: pro-  
ximisque annis potissimum varie tentari vale-  
tudo coepit; cum primis ischiadicis et colicone-  
phriticis, ut medicorum filii appellant, dolori-  
bus. Exeunte superiori mense haud leuiter  
increuit malum, manifesta viscerum duxatla.  
Cui quantumuis quidquid poterat consiliis  
atque operae opponeretur: exhaustis ta-  
men continua vomitione viribus, et cum  
vitali spiritu spe vitae paullatim labente,  
ad suprema sesē non trepide comparabat.

Quare



Quare expiato Christianis mysteriis animo, nil ultra bonorum huius vitae se desiderare, nil aestimare testificatus, inque sola aeternitatis meditatione, quam adhuc vegetus ac virens totiens symbolo professus fuerat, defixus, tandem quarto abbinc die, hora tertia matutina, inter preces et lacrymas moestissimae coniugis pie ac placide obiit. Vidistis, CIVES, quem studiorum ducem amiseritis; a quibus initii, ad quantum robur et accus processerit. Premenda vobis cogitate eadem vestigia, parique industria, et, quantum cuiusque ingenium, vires ac rationes ferunt, instituto, non perfunctorie proficiendum: ne iure vobis obiectetur, quod sua aetate Casaubonus de Gallicana iuuentute, esse  $\alpha\mu\alpha\vartheta\eta$ ,  $\alpha\psi\pi\omega\zeta\eta\varphi\eta\delta\eta$  doncio $\varphi\eta\delta\eta$ , haud sine istorum dedecore conquerebatur. Hoc etiam vestiarum partium est, ut exequiarum pompam ex aedibus defuncti prodituram, frequentes et religiose stipetis; rogantes nobiscum primum illum ac summum Athenaei huius conditorem, ut salutem eius indies firmet potentius, et represis ac pulsis, quibus turbatur aut turbari potest, tempestatibus, aeternis splendere iubeat radius fati melioris. P. P.  
in Academia Ienensi, die XXII. Augusti  
M DCCCI.



Marunt semper bona  
nae terfaeque men-  
tes humanitatis stu-  
dia , prauae contra  
oppletaeque tenebris vel oderunt  
penitus , vel incoata recte reiece-  
runt turpiter. Non igitur mi-  
rum , quod haec studia et in Ru-  
dolstadiensi lyceo studiose labo-  
riosequre exercueris , hodieque  
nauiter vrgeas in Salana , cele-  
bri cultioris litteraturae sede.  
Macte tam excellenti ingenio,  
inoffenso procure pede in isto,  
quod ingressus es , sapientiae  
spatio, neque, si qui cupiant alia  
suadere, audientia dignare. Non  
enim

enim sunt audiendi, verbis Iul.  
Caes. Scaligeri , praeftatione in  
libros poetices vtor , qui hisce  
studiis clamant absumi tempus  
importune, quod feuerioribus ac  
primariis scientiis impendendum  
est. His enim si adhibeas mo-  
dum, tantum abeft ut fatigent  
animum, vt etiam alacriorem  
TE reddant ad exquisitiores con-  
templationes. Et memineris  
istas bonae famae hirudines id-  
eo vociferari, vt ne quod eis  
deest, adfert nobis. At e-  
nim vero nobis tam non  
abeft, quod eis adest, quam  
ab-

*adest, quod non adest illis.*

Mirandum in modum gaudebunt musae, hoc si feceris , atque, dum spes permulcet fore ut facias, iusserunt limatulas politulasque Schubarti epistolas generoso nomini consecrare TVO.

Quas comi vt accipias vultu,  
iisdem TE obsecro precibus, quibus deuincti clientes TVI solent  
vti. Vale O et praesidium et  
dulce decus meum! et ad excelsi,  
in quod genitus es , fati tutelam,  
Deo duce , comite virtute  
nitere. Vale iterum.

CC \*

AD-

## ADLOCVTIO AD DISCIPVLOS.

**O**Culis obtutuique sistuntur,  
iuuenes optimi, epistolae  
et praefationes Schubarti, beati  
praeceptoris mei. Operis labor in-  
noxius est, neque hoc ipso laedun-  
tur vel manes magni meritis viri,  
vel ullius alterius dignitas et com-  
modum. Cypriani, laudem cum  
nomine dixi, Friedensteinensis  
censura, praemissa epistolis cla-  
rorum virorum praefatione ex-  
promta, ad nos non pertinet: me-  
lior nobis mens, melior animus.  
Edimus quidem epistolas viri fa-  
to

to functi, at vel disputationibus,  
variis subiectas, vel libris praemissa,  
vel extantes seorsim. Quae-  
dam sunt grauiores, atque splen-  
dore lucent oratorio: quaedam  
familiares venustae tamen, et  
respersae leporibus; omnes le-  
ctu dignae, et laudabiles. Prae-  
missi programma funebre, et Lu-  
sti Eulogii ad Schubartum, sum-  
ma liberalis doctrinae praemia ca-  
pientem, epistolam, Io. Philip-  
pus Slevogtius, aetatis nostrae  
Varro, scripti utriusque sonoro sti-  
lo commendabilis, auctor et pa-

rensis



rens est. Atque habet ille profecto  
hac in arte omnes numeros:  
neque vincet

- vel Thracius Orpheus

*Vel Linus, huic mater quamuis, atque huic  
pater adsit*

*Orphei Calliopeia, Lino formosus Apollo:*

*Pan etiam Arcadia cum illo si iudice certet*

*Pan etiam Arcadia dicet se iudice victum.*

Nocturna diurnaque manu voluite,  
optimi iuuenes, tantorum  
virorum lucubrations, ad quas  
qui famem non adferet, nac gu-  
stum non habet deliciarum.  
Deus VOS impleat lutulentae  
barbariei, quae vitam stilum-  
que infuscat, odio,  
*Valete.*

IVSTI



*Zu*  
*(3)*

IVSTI EVLOGII  
GRATVLATIÖ  
CL.  
GE. SCHVBARTO  
SVMMOS  
IN PHILOSOPHIA  
HONORES  
IENAE CAPESENTI  
SCRIPTA  
A. R. S. MDCLXXV  
D. XXXI. AVGVSTI.



**S**I Poetarum exemplo fas est in Academica  
ista libertate innoxiis fabulis et defun-  
gi officio gratulationis, et suo legentis-  
que animo pauca liberalius dare: ego  
quoque per tormenta Poesi simillima liberum  
praecipitabo spiritum, et rerum in PARNA-  
SO nuper gestarum memoriam extemporali  
denarratione pandam. Quae siue inuenierit  
apud lectores veritatis fidem; siue mendaciū  
babebitur suspecta: neque fallet impudentius  
ilorum credulitatem: et istos, in mendacio  
hoc non omnino nihil veri latere, edocebit.

Ex quo barbarie passim terrarum vastita-  
zem circumferente, anni excedere sedibus  
PHILOLOGIA coacta fuit, in vicina et pro-  
piora nobis loca commigravit. Placuere sta-  
tim cum regionum, tum incolarum ingenia:  
ut Graeciae olim suae et Italiae deliciarum fa-  
cile obliuisceretur. Neque in humanitate aut  
studiis gentium erat, cur iure quidquam di-  
uina Hospes desideraret. Mirifica statim et  
ubique mortalium in cultu ipsius concertatio.  
Pro se quisque ardebat Diuae deferre obse-  
quium; et quanto generosior cuiquam spiri-  
tus incendebat pectora, tanto eniore pietate  
operam, actus, ingenium eidem dedicabat.  
Nec illa morosior nouis clientibus adsperrnaba-  
tur fastidiose rudes adhuc adorantium cultus.

Quis



Quin alliciebat vltro serenioris suauissima comitate, eaque arte dispensabat oculos, nutus, admissions, vt et optimorum quisque insigniter sibi gratularetur; neque plebes etiam desperare de gratia omni haberet. Impleuerat itaque subito incomparabilis Diuae fama et fulgor circumiacentes populos, vt ipsi quoque insita mortalibus nouarum rerum cupiditate e longinquo attraherentur. Tandem vero et Germaniam proprius respexit. Quae infausis ignorantiae tenebris antea damnata, mereri videbatur maiorem litterariae rei lucem. Igitur impertuit se nobis illustre coeli pignus: ut propiore lumine excuteret ingenii torporem, subitaque serenitate caliginem omnem dispelleret. Quis non Teutoniā dērepente circumfudit splendor? quanto animorum connixu doctrina et humanitate imbui pectom coepere? Exardebant egregiae mentes solidioris scientiae studio: quaeque antebac amabatur vel desidia vel ignorantia, iam explosa et pro infamia habebatur. Expositi olim cultiorum contemtui hominum calcabamur humiles vilesque animae, mox principibus doctarum gentium ingens iuidiae odiique argumentum. Verso igitur admirationem indignissimo fastu, quantis applausibus, quantis perfectae doctrinae te-

stimoniis a nostra quoque industria lucem si-  
bi accendere! Sed vero, ut humanas for-  
tunas perpetua fatorum inconstantia vorsat,  
nuper adeo inuasit foedissima socordia ani-  
mos, et ingruenti sensim barbariei explicare  
vias occoepit. Adauxit amittendae Diuae  
periculum bellorum rabies, et quidquid spei  
adhuc erexerat bonos, tantum non penitus  
deiecit. Qui enim depraedatis vndique  
agris, prostratis urbibus, ciuibus exhaustis,  
denastatis prouinciis Hospes quoque nostra  
non expelleretur tandem, opportunis dignis-  
que sedibus penitus exclusa? Pessime habuit  
bonarum litterarum infelicitas ingentes ani-  
mos. Nam enim uero nisi mature obuiam  
malo iretur, exstincta propemodum ac depo-  
nenda, tot comparata sudoribus Germaniae  
gloria videbatur. Magnis igitur votis suscep-  
pta deliberatio. Nec apparebat ratio com-  
modior, quam si ad APOLLINEM oratores  
publico nomine ablegarentur. Constatbat  
quippe de interiore illius cum PHILOGIA  
necessitudine, et pertinebat omnino ad de-  
cus Parnassi, ne tam nobili incremento Mu-  
sarum chorus orbaretur.

Dum consentientibus suffragiis in hanc itur  
sententiam, maior nulla, quam de idoneo  
oratore circumspectio fuit. Alii obtendere  
emer-

emeritam longis laboribus aetatem: ali⁹ ex-  
cusare eandem; sed auctoritate vſuque re-  
rum destitutam. Concurſum tandem ad Gy-  
mnasia et Academias celebriores: ut ex arce  
quasi sapientiae deligeretur prudenter, qui  
ſummae vel ſpei vel desperationis vota apud  
Parnassum non infeliciter tractaret. Supra-  
fidem eſt, quod dicam. Nusquam fere mi-  
nus, quem quaerebant, inuenere. Non  
amplius regnabant in Cathedris, ut ſub ex-  
emplis loquar, Melanchthonis, Camerarii,  
Sturmii, Berneggeri voces: non concurſaba-  
tur ad Oratorum, Poetarum, Historicorum  
illustrationes agminatim; ſed obſcuri ſaepē  
bominis infelix diligentia auditorium ſola fa-  
ciebat. Pauci tuebantur veteris gloriae lau-  
dem: et illi tamen ex diuersis ſibi ſtudiis lau-  
rum quaerebant. Nam vel naturae impe-  
tum, vel genium ſeculi ſequentes, ad pri-  
mae Philosophiae argutias, et perite recte-  
que iudicandi artem ſeſe applicuerant: haud  
ignari, quantum publicae rei necessaria opera  
prodeffent. Dignissimi profecto ſummis elo-  
gis, iuxta cum affentantium turba; niſi  
quod bi vehementius, quam cautiſ delicias  
iſtas amplexabantur. Neque enim tenebant,  
quod prudentiae ſummus diſcillimum iudic-  
auit, ex ſapientia modum. Iam vbi ad  
diſceptationum certamina deuentum erat,

) (\* 5 prob!



prob! Deum immortalem! praeter contor-  
tulas acutae delirationis conclusunculas, raro  
quidquam generosis auribus dignum offendebatur. Sed multis placebat haec sapientia:  
et alios pariter seque ipsum deridendos propinare in praemio victoriae et argumento ingenii ponebatur. Qui vero ad exemplum veterum, et modestiam prudentiorum ingenia exercitarent. minime multos licebat conquirere. Hi tamen despiciebantur vulgo: utque sine ineptiis, ita sine theatri plausu, solis sibi sapiebant. Inter haec in Priscianum publica ubique conuicia: ut credere sustineres cum infamia et Imperiali Banno exterminatum; ne cuiquam liberrima in miserum saeuendi potestas non esset. Atque haec inferiores adhuc Cathedrae specimina exhibebant. Quae cum facere viam ad sublimiora enitentibus deberent, quales ex scholis eiusmodi liceret sibi polliceri, sine vate intellegebatur. Quare ne aditi quidem superiorum disciplinarum cultores. Nam aperte quoque professi eruditiores fuerant, frustra futuros, quotquot ex scholasticorum turba PHILOLOGIAE Patronos desiderarent. Haud difficilius contra eandem Oratores; id est, semibarbaros et perfunctorie tantum bonis litteris tinctos repertum iri. Nec ferre iam aliter saeculi genium. Ad pulpita, et suggestus,

gesius, ad curiam, ad forum, ad decumben-  
tium aureas pollicitationes totis viis propera-  
ri: ne desint forte, quibus fortuna, vita,  
iustitia, anima tandem nostra, tanquam  
res superuacaneae credantur. Se quoque, nisi  
cum fastidio deserit malling, disimulare pro-  
fundiores et ex PHILOLOGIAE copiis peti-  
tam doctrinam oportere.

Quid putatis animi fuisse enixius adhuc  
PHILOLOGIAE deuotis? Projecto equi-  
dem exanimasset desperatio iam sponte per-  
cussos: nisi paucos adhuc per ambitum non  
febriculosae sapientiae deductos; nec sui  
ipsius, sed prudentum aemulatores, fortuna  
et excellentium commendatio virorum suppe-  
ditassent. In iis quoque GEORGII SCHV-  
BARTI laudabatur nomen, et insignibus mo-  
destiae, aspiditatis, doctrinae documen-  
tis in primis dignoscetebatur. Adiecerat quo-  
que Patrum incorrupta suffragatio: PHILO-  
LOGIAE cultu et admiratione dudum lau-  
ream meruisse. Neque istam solum adora-  
uerat Diuam; sed sanioris quoque Philosophiae  
praeceptis solerter animum impleuerat. Pla-  
cuit igitur tot eximiis dotibus ornatus, et  
PHILOLOGIAE cum primis sequutus castra,  
qui paucorum ex litteratis vota Musarum  
Praesidi animosa interpretatione commenda-  
ret. Nec licuit tantae dignationis munus

inci-



incipit detrectare. Quare accinetum ita-  
neri, et ingenti spe promissisque oneratum,  
coram APOLLINE sic verba fecisse accepimus.  
Adbuc incertus sum, DOMINE, an timidius  
apud Te effari desideria hominum debeam, qui  
et Tibi egregie semper cari, et uniuersae Germaniae  
incredibili ornamento fuere. Nisi enim  
iubentium auctoritas, dignitasque caussae, fi-  
duciam mibi veniae fecissent; deprecarer omnino  
temeritatis culpam: qui Tui Numinis splen-  
dore et meae imbecillitatis conscientia non po-  
tui ab infacundo alloquio deterrei. Nunc su-  
periorum nutus in excusationem rudis eloquii  
obtendens, PHILOLOGIAE apud Te, vel potius  
eulorum eius caussam oratum venio, Diuine  
Musarum Praeses. Intolerabili contemtu atque  
infamibus iniuriis a nostratibus projecta ab ali-  
quo tempore augusta Hespes, tristiora Tuis mi-  
natur, DOMINE; et nisi Tu impendentem dis-  
sipabis noctem, ac restituto splendore pristino  
Germaniae illam conciliaueris, nihil est, quod  
irreparabilem sideris nostri iacturam auertat.  
Fatemur equidem non iniustas indignationis ac  
velut diuortii caussas venustissimae Diuarum  
ad manum esse! An vero cunctorum malo elu-  
endum veniet Pater, quod excors et imperita  
turba peccauit? Nulla tam perfecta virtus  
est, quin suos etiam obtrectatores et osores in-  
ueniat. Eamus per felicissimae eruditio[n]is

secu-

secula, per illas ipsas regiones, quarum vitia  
tantis conatibus aemulamur, quaeque solidae  
scientiae et ingenii omnis decus aliis eripuisse  
gentibus gloriantur: an igitur digna ubique  
pretia Diuae nostrae ibidem ponuntur? Quod  
si numero illi et vigore animorum vicerint Ger-  
maniae sidera, haec profecto rariore quantumuis  
non minus tamen illustri lumine effulgent. Nec  
excellentior unquam virtus habet, quam quae  
paucissimos beatit. Tua quoque refert, DO-  
MINE, tantam Hospitem, et nondum aequa no-  
bis atque aliis regionum propitiam, numquam  
non in contubernio vestro colli. Quis enim ma-  
gnitudinem Tuam satis vel intelligat, vel reue-  
reatur, nisi PHILOLOGIAE instructu praepa-  
ratus. Quis non reliquarum ex pulcerimo  
Musarum coetu neglectus despectusque illabetur  
animis? Inseparabili nexu et fortuna univer-  
sarum et aestimatio continetur. Quae si di-  
uulso consortio semel ceciderit, ad omnes malum  
tacitis gressibus serpet. Libera igitur Tuos,  
quantumuis paucissimos, ingenti metu, atque  
reductis subinde ad rectiora animis, in pristinum  
fastigium ac gratiam Diuinam Hospitem, et  
cum ea nos quoque restitue. Descende in tuo-  
rum vota, Dñe Pater, et auersantem iam sylve-  
scientia velut Germaniae ingenia; quin abitum  
iam parantem PHILOLOGIAM nostrorum  
pietati desideriorum redde. Patere ut eius Tibi  
incre-



incrementa debeamus, quam conciliare nutu,  
quam asserere veterem in statum auctoritate  
potes. Dixerat ornatissimus orator, et non dis-  
plicuisse haud fallacibus argumentis colligeba-  
tur. Interposita igitur breui mora, responsum  
acepit. Non esse, cur desperarent meliores ani-  
mae de obsequii sui erga Diuam successu. Non  
enim defuturos vñquam, qui ad interioris com-  
mercii familiaritatem admisi nomen famam-  
que sint adepturi. Quorum quantumuis ra-  
rior deinceps rarioque copia surrectura esset,  
constiturum tamen Germaniae suum adhuc ex  
sublimiorum grauitate studiorum decus. Nam  
vt parem cum nonnullarum gentium felicitate  
gloriam auguretur vel polliceatur, genium po-  
puli vetare. Caeterum utilissimi se deinceps  
consilii auctorem esse, vt non soli amplius Philo-  
logiae impenderent studia; sed Theologiae iuxta  
et Iurisprudentiae ac Medicinae consecrarent.  
Tunc enim et istius ope scientias atque artes a barbarie  
atque irrisu; et harum subsidio amoeniora studia ab  
inopia et contemtu secum fore. His peractis, benigne  
ac faustis omnibus Legatio dimittebatur. At vero,  
ne sine praemio discederet orator dissipissimus, decerpcta  
ex Parnasso Lauru donatum in Musarum proprius ad-  
sciscere consortium decretum est. Dies ergo solennis  
inaugurationi dictus. Cui vt Reipublicae litterariae  
Cines interessent, gratulationes ac bona verba obla-  
turi, honoris ergo posita statua, a Misis  
inuicabantur.

ACCVR-



*ACCVRRITE CIVES, ACCVRRITE!*

*NVLLVM IVCVNDIVS SPECTACVLVM,*

*QVAM QVO VIRTVTI PRAEMIA*

*CONFERVNTVR.*

*GEORGIVS SCHVBARTVS*

*BONARVM LITTERARVM TAM FELIX,*

*QVAM ASSIDVVS CVLTOR,*

*QVOD QVE OMNES ELOGIORVM AB-*

*SOLVIT TITVLOS,*

*LAVDATISSIMIS LAVDATVS,*

*VT ACCIPERET, QVAE MEREBATVR:*

*VT MERREATVR, AD QVAE TANTVM*

*OPTIMI ADSPIRANT*

*PROBITATIS, VIRTVTIS,*

*DOCTRINAE*

*MERCEDEM*


*ET*



ET  
POST QVAM SINGVLORVM DEDIT.  
DOCVMENTA,  
VNIVERSORVM PVBLICA MONVMENTA  
CONSEQVETVR:  
PIERIA CINGENDVS  
LAVRV,  
INTERSTREPENTIBVS PIORVM GRATV-  
LATIONIBVS AC VOTIS  
VT TOT FORTVNAE, HONORVM, FAMAE  
AVCTIBVS EFFLORESCAT,  
QVOT ANNORVM PERPETVVM FLO-  
REM AVGVRARE MVR,  
NISI APPRECARI SOLVM FATA  
PATERENTVR.



vc  
li-  
is.  
vt  
n-  
de  
es  
a-  
i-  
ai.  
ia  
D-  
d-  
ir  
D-  
oi  
c  
-  
i



1018

PICA



(3)  
GEORGII SCHVBARTI  
POLYHISTORIS OLIM IENENSIS  
ERISTOLAE

x-rite

colorchecker CLASSIC



L mm